Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Rudolph Goclenius

Rod. Goclenii, Med. D. Et Mathem. Professoris ordin. in Acad. Marpurgensi, Acroteleution Astrologicum : Triplex hominum genus circa divinationem ex astris in scenam producens, falsamq[ue] Astrologiam a vera, rationibus, exemplis & experimentis distinguens, contra novas criminationes

Marpurgi: Egenolphus, 1618

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777758865

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777758865/phys_0001
DFG

Pr. 48 p. Tab. 134 p. Pr. 65³ p. 78 p. 24 p.

75 · 7.

1 Kupf.

L II b — 1078¹ 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777758865/phys_0002
DFG

Continentur in hoc Volumine

1) Johannis Schoneri Tabulæ Astronomicæ 1587. Witeb.
2) Philippi Landsbergii Uranometria 1631. Middelburgi.
3) Ejusdem P. Landsbergii Commentationes in motū
terræ diurnum et annuum 1630 Middelburgi.
4) Roderici Godenij Aerotelevtion Astrologicū 1618. Marpurgi
5) Cypriani Leovitij de Conjunctionibus Planetarū
Eclipsibus, et Cometis 1618. Marpurgi.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777758865/phys_0003
DFG

ROD. GOCLENII, MED. D. ET Mathem. Professoris ordin. in Acad. Marpurgensi,

ACROTELEUTION ASTROLOGICUM,

Triplex hominum genus circa divinationem ex astris in scenam producens, falsamq; Astrologiam à vera, rationibus, exemplis & experimentis distinguens, contra novas criminationes.

Annexus quoq; est tractatus integer correctior quàm fuit ante

CYPRIANI LEOVITII, MATHEMATICI Excellentiss. de conjunctionibus magnis, eclipsibus solaribus & Cometis, cum eorundem effectuum historica expositione, ob exemplarium raritatem, rerumq; & historiarum memorabilium excellentiam hoc loco dignissimus.



MARPURGI, apud Paulum Egenolphum.

M DC XVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777758865/phys_0005
DFG



ILLVSTRISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

Dn. JOHANNI GEORGIO,

Principi Anhaldino, Comiti Ascaniæ, Domino in Zerbst & Barenburg, &c. Domino suo clementissimo,

ROD. GOCLENIUS, MED. D,

precatur ineuntis anni, ut & sequentium, felicitatem summam.

NON puto, Illustrissime Princeps, fuisse ullum seculum contumeliarum & invidiæ feracius, pietatis & sinceritatis sterilius, quàm hoc nostrum. Ita enim invidiæ plena sunt omnia, ut alter in alterius ingenium liveat & grassetur impudenter, & ille qui scribit, multos sumat Rhadamanthos, omnemq; citius literaturam ejurare & nunquam studuisse malit, quàm scripta sua multa industria, crebrisq; lucubrationibus parta, tot invidorum contumeliis arietanda exponere, ni Deus Opt. Max. in tantis humanæ vitæ erroribus, intemerata virtutum, honestarumq; artium Asyla constituisset, Principes scilicet Philomusos, quorum patrocinio atque favore candidus frugiq; scriptor munitus, tutius contra Sycophantarum insultationes insurgere & exire in publicum possit: quod etiam me multum invidorum injurias formidantem commovit, ut Illustr. T. Cels. quæ ve-

rum virtutum bonarumq; artium Asylum audit, hoc meum ἀκρόλευκον reverenter inscripserim atq; dedicarim: certò mihi persuadens, si sub Optimi & Literatissimi Principis Serenissimo auspicio in lucem eruperit, ipsum apud bonos viros laudem haud spernendam, famamq; perennem sit adepturum. Et cur ego hanc de Celsit. Tua fiduciam non concipiam, cùm omnia ei adsint, quæ ad tutelarem vim quis sibi vovere possit? Quod si enim in campum laudum C.T. expatiari velim, certè in ipso limine tenuitas me mea remoratur, cùm adeò multa & præclara sint laudum C. T. totiusq; Inclytæ Ascaniæ gentis ornamenta, ut nihil ei desit, quod vel à natura, vel à fortuna, vel à virtute sit expetendum. Si Excelsissima Celsit. T. stemmata intueri velim, tantam deprehendo antiquitatem, sublimitatem, & majestatem, ut revereri ea sit æquius quàm commendatione persequi. Si denig; præclaras animi dotes, quibus C. T. eminet, lustrare gestiam, ita certatim, ita agminatim, virtutes C.T. sese ostendent, ut, cui illarum primas jure deferre debeam, incertum maneat, & ita silere satius sit, laudesq; tum Celsit. T. tum totius Prosapiæ Anhaldinæ augustissimas, contemplando admirari, quàm minus decenter ac splendidè de iis quicquam effutire. Hæc, inquam, omnia & singula cùm animo pervolverem, sæpius ita me rapuerunt, ut Celsit. Tuam aliqua ratione pro virili parte devenerandam esse mecum concluserim, ut ἀκρόλευκον meum Astrologicum C. Tuæ nomine præfulciendum atq; cohonestandum censuerim, ut mihi decretissimum sit, Celsit. cùm Tuæ, tùm totius Generosissimæ Ascaniæ Familiæ, nomen & virtutes nullo silentio damnatas, apud omnem posteritatem publico & literario monimento deprædicare. Inprimis verò etiam, Princeps Illustrissime, & alia me ratio movit, vel certè par reliquis, vel non inferior, ut ad Te animum meum converterim, nimirum, quia ex multorum fide dignissimorum hominum relatu, tum verò maximè Illustrissima Agneta Magdalena, singularis, & ferè supra vires humanas Ingenii ac exempli Heroina, cognovi, quantus non solùm sis Musarum cultor & Mecœnas, sed etiam quanto desiderio & amore ingenuarum litera-

literarum, (inprimis verò Astrologiæ, cujus ferè solius cognitio Principem facit inter multos alios eminentem, & admiratione dignum) ducaris, quamq; benevolus sis, humanus & beneficus erga eos, qui in iis excolendis ingenii nervos intendunt. Vt igitur monimentum extaret aliquod publicum gratitudinis illius, quam Vrania cum suis filiabus conjunctissimis, Astronomia & Astrologia, Celsit. Tuæ debet, non alienum ab Astrologica & cœlesti honestate ac verecundia esse duxi, hoc ἀνεθλιακὸν *Astrologicum Illustrissimæ C. T. consecrare, rogans ea quâ decet animi submissione, ut serena id fronte excipere, animo benigno amplecti, & Auctoritatis suæ præsidio tueri clementer dignetur. Ego vicissim ad omnia officia & servitia quocunq; loco & tempore, humiliter præstanda, me exhibebo quàm paratissimum. Deus Opt. Max. Celsit. T. cum Illustrissima Conjuge & Liberis Generosissimis diutissimè sospitet, Spiritusq; sui S. afflatu roboret, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen. Marp. An. 1617. VII. Decembr.*

In Acroteleution Goclenianum,

RAPHAELIS EGLINI ICONII,

S. Theol. Doctoris, & Professoris Marpurgensis,

HEXASTICHON.

AUREA flammiferi scrutantes sydera cœli
Altius humanis exeruere caput.
Qualis in Acroteleutio, clarissime Doctor
GOCLENI, Veteres vincis, & arte Novos.
Vinciet ergò tuos crines stellata corona,
Inter & Astrologos jure choragus eris.

AD LECTOREM CANDIDUM.

NON existimabit æquus lector, me ostentatione aliqua aut ingenii fiducia adductum hoc ἀνεψιὸν in publicum emisisse. Sed partim officii mei publici ratio, quod veritati Astrologicæ hactenus pro virili à me propugnatæ debeo, partim etiam novæ criminationes, vel potius siniſtræ de Astrologia opiniones, quibus verebar, ne studiosorum optimorum mentes (per aliquot nunc abhinc annos privatim, & diligenter, viam mea operâ præmonstrante, hoc studium excolentium) à cœlestium contemplatione & utilitate abducerentur, facere id me jusserunt. Estq; hoc meum ἀνεψιὸν ad unum tranquillæ mentis portum directum, quo nulli ambitionum venti me compulerunt, navem semper ab argutiarum & vituperiorum Scylla avertentem. Et firma apud me stat sententia, imposterum omnia invidorum συγγράμματα & explosiones infracto animo ferre, modò, ut spero, usus aliquis ex meis scriptis ad mortales perveniat. Vale.



ACRO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777758865/phys_0010
DFG

ACROTELEUTION ASTROLOGICUM.

PRÆCLARE, inquit Alcinous Platonicus, in Astronomiam incumbentes, ab iis, quæ oculis percipiuntur, ad inaspectabilem & intelligibilem essentiam deduci: & illum virum esse beatum, qui doctrinam astrorum didicerit, huncq; ait moderatum, justum & utilem civibus futurum. Idem quoq; Astronomiæ causâ oculos homini datos esse affirmat, graviter scilicet ac sapienter significans, inter omnia corpora nihil esse pulcrius, nihil admirabilius, quàm cœlestia illa lumina, & homines à natura ad hanc pulcritudinem fruendam maximè rapi ac incitari. Ac mihi quidem oculi ipsi convenientiam vel maximam cum sideribus habere videntur. Ut enim in mundo lucet Sol, ita & in homine, qui Magni mundi est exemplar quoddam, sua quædam sunt lumina, veluti sidera condita. Qui itaq; cognata illa lumina fastidiunt, non considerant Naturæ opera, non Dei sapientiam, quam orodo & harmonia motuum, non potentiam immensam Creatoris, quam cœlestium ostendit corporum Magnitudo, non deniq; ejusdem bonitatem, quæ in conservatione tanti opificii elucet, & præcipuè ad hominum utilitatem est directa. Et certè digni ob eam causam essent, quibus oculi eruerentur, cùm ad hanc tam præclaram rem iis uti nolint, ad quam præcipuè sunt conditi. Quapropter summa ope in bene constitutis Academiis curandum, ut studium hoc tanquam

tanquam publicum patrimonium conſervetur, & ad poſteros non acciſum, non contritum, non corruptum propagetur. In qua quidem re, licet multi præclaram operam navârint, adque nobiliſſimæ excelſiſſimæque artis dignitatem tuendam omnem ingenii aciem intenderint, & denſiſſimis ignorantiæ tenebris oppreſſam ad aſpiciendam lucem revocarint, ſemper tamen inventi ſunt, & etiamnum inveniuntur, qui ſine ullo diſcrimine omnem Aſtrologiam divinandiq; artem, ut vanam & temerariam inſectantur, & gloriam quodammodo inde aucupari videntur. Contra quos (quod tamen pace eorum fiet) non parum me gratiæ apud cordatos viros & ſtudioſos inturum ſperavi, ſi proceſſero, oppreſſamq; calumniis artem à maligno dente vindicârim, hoc in apricum apertumq; deducto ἀνεσχυλίῳ: Ad quod etiam ſtudioſorum efflagitationes aſſiduæ me impulerunt, ut, quoniam jampridem alio ſcripto eam defenderim atq; illuſtrârim, ſtylum ad hanc quoq; lucubratiunculam, (quam aſſertionum Aſtrologicarum volo eſſe extremam) reducerem, ſic enim artem priſtinum ſplendorem recuperaturam. Quare parendum oportuit, ne publicam ſtudioſorum utilitatem deſeruiſſe & prodidiſſe videar. Et ſi licet aliis ſiniſtrè & ἀπαιδεύτως de Aſtrologia ſentire, cur mihi non dextrè eam defendere?

Tria autem ſemper extiterunt, & etiamnum exiſtunt hominum genera circa prædictiones Aſtrologicas. Primum eſt eorum, qui cœleſti aura non afflati miſeris modis Aſtrologiam flagellarunt, prædictionesq; in univerſum rejecerunt & damnârunt, dum apertè à natura aſtrorum alieniſſimas eſſe virtutem movendi & afficiendi hæc inferiora negarunt, ſuperſtitioſum eſſe ajentes, Orionem appellare nimboſum, arcturum procelloſum, cœlumque ſerenum aut pluvioſum ex aſtrorum motu & poſitu prędicere. Unde magnos criminationum nimbos

bos in eam effuderunt, omnibusq; telis, tormentis & arietibus, quos nulla humana vi elidi unquam posse, aut acumine eludi putarunt, impugnarunt, inter cujus porticus tibicines est miserum illud Astrologorum flagellum, Picus Mirandulanus, (vir alioqui doctissimus) qui multos post se reliquit Astrologię mastiges. Sed cum his multum litigare animus non est, nec etiam eos refutare. Ostendi enim Solem & Lunam sibi postulant. Propter tamen simpliciores & imperitiores quædam præterita non oportuit, ad influxum stellarum in inferiora omnia corpora clarè demonstrandum, quibus præmissis, Astrologiam eruditæ physices partem esse liquidò constabit. Cyclops ille Homericus barbarico fastu turgens exclamat, se neq; Jovem, neq; fulmina ejus reformidare. Quod hominis monstrum imitari mihi videntur, qui artes omnes, & inter has eam, quę astrorum effectus tradit, spernunt, & odiosè exagitant. Sed quemadmodum Cyclops ille non multò post ab Ulysse excœcatus, & passim in tenebris palpitando oberrans, pœnas dedit contemptus Dei, & operum ejus justissimas, ita hi, qui Astrologiam Magicis & superstitiosis artibus ineptè commiscentes invidiosissimè ad vulgus traducunt, nec cum ratione & consilio quicquam instituunt, tandem incidunt in tristes calamitates, quibus sæpè alios secum involvunt, cladesq; publicas accersunt Reipubl. aut toti etiam genti.

Principiò igitur certis & indubitatis experimentis constat, sidera habere aliquos effectus, influxumq; & virtutem in hæc inferiora, ea scilicet alterandi, variisq; modis afficiendi. Quod si verum, ut certè est, Astrologia erit pars physices, perinde ut prædictiones Medicorum & agricolarum. Sumamus duo clarissima sidera, Solem & Lunam. An non vices æstatis atq; hyemis Solis accessu & recessu fiunt, Solisq; lux calefacit atq; desiccat? An non ad Lunæ incrementa & decrementa ge-

nerales Medicorum & agricolarum regulæ præscribuntur, absurditatis aut impietatis nihil continentes, ab illis quidem in detrahendo sanguine vel per venæ sectionem, vel per scarificationem, ab his verò in cædendis lignis, serendis ac transplantandis plantis? An non manifestis in natura rerum testimoniis clarum est, attestantibus etiam idipsum Aristotele, Plinio, Gellio, Plutarcho, carnes Lunæ expositas citius putrescere, quàm in Sole, propterea quòd calor Lunæ sit mollior & languidior, humores non exiccans, sed potius augens vel resolvens. Infantes quoq; Lunæ ostentati aut subjecti, quia humorum pleni, solent convelli, humoribus scilicet commotis: & in Luna decumbentes, capite non probè tecto, quasi attoniti surrexisse visi sunt, humoribus scilicet cerebri per Lunæ radios diffusos. Eâdem de causa ostracea senescente Luna tabescunt, quę adolescente illa & augescente gliscunt, teste Gellio l. 20. c. 7. In arboribus præterea & stirpibus lunæ calor humorem nativum resolvit & colliquat. Unde fabri lignarii & architecti ligna plenilunii tempore non cædunt, sed lunâ decrescente, cùm scilicet jam deteritur lumen, ajunt optimè cædi materiam, quæ tunc arescat, nec carie facilè computrescat. Cœlius Rhodig. l. 2. c. 3. Noctes quoque in plenilunio calidiores esse tradit Aristoteles, propter Lunæ lumen, unde etiam pisces ad superficiem aquarum commeant. Idem tempus frigidius & humidius esse ait, lunâ decrescente, quàm eadem crescente, 4. de gener. ani. c. 2. Lunam item in priori dichotomia plus excalfacere & humectare, quàm in altera, cùm scilicet lumen tendit ad defectum, experientiâ innotuit. Consentit Plinius l. 2. c. 99. & 101. Et cap. 99. hominis etiam sanguinem cum lumine lunæ augeri, minuiq; testatur. Quin & maris fluxum atq; refluxum eidem lunæ tribuunt, Strabo l. 3. Plinius l. 2. cap. 97. Ptolom. l. 2. Τέλεσις. Aristoteles l. de mund. Plutarch. l. 3. de plac. in fine. Addo his

D. Ba-

D.Basilii autoritatem, (quem tamē pars adversa ut maximum suæ opinionis patronum adducit) qui beneficas lunæ vires deprædicat his verbis: Animaliū corporibus cæterisq; è terra nascentibus non mediocriter conducunt lunæ mutationes. Nam alio modo corpora decrescente ipsa, aliter crescente ipsa afficiuntur. Cùm enim minuitur, fiunt rara atq; inania, cùm verò crescit, adq; plenum properat orbem, rursum replentur, propterea quòd humorem quendam cum calore mixtum in profundum usq; ipsis immittit. Declarant hoc ita esse, qui sub luna dormiunt, quorum laxa capitis spacia opplentur superfluo humore: tum recens jugulatæ pecudis carnes, quæ impressione lunæ celeriter mutantur, itemq; animalium cerebra, & animantia marina, quæ sunt humidissima, arborumq; medulla. Præterea affectiones aëris istis lunæ mutationibus subjacent, sicut testantur repentinæ procellæ, quæ circa novilunium plerunq; à serenitate & tranquillitate ventorum oriuntur, quando & flatu nubes exagitantur, sibiq; occursant: item æstus maris accedentes, recedentesque partim in Euripis, partim in Oceano, quos accolæ observârunt lunæ exactè sequi circuitus. Nam Euripi secundum lunæ facies in alterutram partem per vices recurrunt: in coitu verò ne minimum quidem temporis quiescunt, sed agitatione & libratione continua versantur, donec rursus emergens luna quandam vicissitudinem fluxus ac refluxus præbuerit. Ac occiduum mare æstus sustinet nunc subsidendo, nunc rursum inundando, proinde ac si respirationibus lunæ retraheretur, iterumq; expirationibus ejusdem ad proprium statum retruderetur. Hæc Basilius verè & rectè. Nam si tanta est sideris vis in vastum & magnum Oceanum, negari non potest, ejusdem etiam influxus in cerebra & humores animalium. Nec verò dubium est, ut Solis & Lunæ, ita & cæterorum Planetarum lumen aërem, ac corpora nostra miris

modis afficere & disponere. Nam si hæc manifesta sunt in Sole & Luna, cur Saturnum, Jovem, Martemq; putemus frustrà esse condita? Pertinacis igitur ingenii signum est, imò Bœoticæ ruditatis, asseverare, Deum stellas in nullum alium usum condidisse, nisi ut lucerent noctu, & facem quandam hominibus atque animantibus præberent, ad quæ omnia præstanda Sol & Luna satis fuissent.

Statuendum igitur, & firmiter tenendum, Jovem, Saturnum, cęterasq; stellas non frustrà esse conditas, sed singulas peculiaribus viribus à Deo esse ornatas, quas in sublunarē mundum ejaculantur. Et ita conditus est homo, non ut pulcerrima hæc corpora tantùm aspiciens, ut vacca portam albam, voluptatem momentaneam & fugacem ex lucis usura caperet, sed ut sapientiam & potentiam Dei in his operibus investigaret, eamq; deprehensam perpetua animi gratitudine celebraret. Nam motuū cœlestium, effectuumq; motus istos consequentium contemplatio ad agnitionem Dei perducit, utq; homines in pietatis cultu proficiant, certissimis hisce providentiæ testimoniis se excusitant. Faciebat id David, cùm diceret: Quoties aspicio cœlum opus digitorum tuorum, lunam & stellas, quas tu firmasti, atq; ita concinnè in suis domiciliis deposuisti, toties subit animum meum hæc cogitatio: Quid est homo, quòd memor es ejus? & filius hominis, quòd curam ejus agis. Sic Psal. 19. Solem, cæterasq; stellas, perpetuos & canoros providentiæ divinæ facit præcones. Et Jobus assiduus est in celebranda Dei potentia, quæ nullibi magis quàm in astris, horumq; efficacia deprehenditur. Ac operæ hîc pretium est, insignia testimonia proferre, quibus ostendatur, elementa, & sublunaria corpora perpetuò affici, varieq; disponi à corporibus cœli, àq; horum diverso positu varias & diversas effectiones hominibus denunciari.

In procinctu autem est dictum Gen.1. basis & fundamentum totius Astronomiæ, atque inde dependentium prædictionum Astrologicarum: fiant luminaria, ut sint in signa, & tempora, & annos, & dies: quo dicto non tantùm temporum, annorum & dierum discrimina motu stellarum designantur, sed etiam, ut hominibus sint signa, & notæ rerum, ex quibus quædam futurorum sumerent argumenta: quam vis nonnulli, doctrinam de motibus & effectionibus corporum cœlestium fastidiosè deridentes, dictum hoc pravè interpretentur, cùm hæc verba, ut sint in signa, & tempora, & annos, & dies, quæ & distinctivè scribuntur & accipienda sunt, ita confundunt, ut posterioribus tribus vocabulis signorum officium & naturam notari existiment, cùm manifestum sit, propriè & principaliter per vocem SIGNI, tale quid denotari, quod futurum aliquid prænunciet, non tantùm quòd rem præsentem indicet, ut cùm fumus è camino erumpens, ignem designat. Ipse Christus, posità una signorum specie pro toto physicarum observationum genere, ait, homines ex cœli facie futuras tempestates rectè prædicere. Atqui hanc esse genuinam dicti Mosaici sententiam Augustinus quoq; observavit, cùm scribit: Signa dici corpora cœlestia, quòd vitæ usibus necessaria designent. Quam sententiam approbat doctissimus Philo, quem Eusebius in scripturis explicandis ob judicii acumen laudat, & Hieronymus ob variæ eruditionis copiam referre in Catalogum Ecclesiasticorum scriptorum non dubitat. Verba autem Philonis sunt hæc: Factæ sunt, ut Deus ipse ait, non solùm ad lucem emittendam, sed etiam, ut futura præsignificent: aut enim ex ortu & occasu earum, deliquióve, aut occultatione, emersionéve, aut aliis motuum differentiis, homines de futuris conjiciunt & præsagiunt copiam inopiámve fructuum, vel pestem animantium, serenum, nubilumque cœlum, tranquillitatem

aëris, procellas ventorum, inundationes, &c. ut ita rectissimè dictum sit, stellas esse in signa factas, & etiam tempora.

Jobi 38. dicit Deus: Scísne leges cœli, túne potestatem cœlo daturus es, quam habet in terram? Ex quo loco liquidissimè apparet, cœlum habere leges & potestatem in terram: indicat enim hic textus potentiam, quam Deus corporibus cœlestibus indidit in elementarem hunc mundum transfundendam.

Apud Malach. Prophetam legitur: Sanitatem esse sub radiis Solis, quos alas venustè appellat, atque his foveri & conservari hominum incolumitatem affirmat. Et David Psal. 121. ait: Per diem Sol non te lædet, neque Luna per noctem: ex quibus scripturæ locis stellis inditas esse virtutes à Deo constat, quibus non tantùm aër variè afficitur, ut rudiores quidam putant, sed etiam homines.

Jerem. 10. legitur: à signis cœli nolite timere, quæ timent gentes. Etsi autē hoc dicto prognosticum astrologicum Scioli quidam planè Elisum atq; Elusum putant, tamen si paulò attentius aspiciatur, quilibet, modò ἀῤῥωσίᾳ τῆς διανοίας non laboret, intelliget, Astrologiam eo ipso magis confirmari. Signa nominantur: ergò portendi his aliquid designatur: non enim Propheta vult ea contemni, aut Epicureorum more deludi, sed Deum propter hæc signa solum esse timendum. Nolite igitur timere signa, sed potius Deum, signorum autorem, & stellarum opificem, qui suam iram & judicium per illa signa denunciat: quantum enim prodigiorum, Eclipsium, magnarumque conjunctionum anteceſſerit Excidium Hierosolymitanum, historiæ testantur, quæ certè non casu proveniebant, sed eam ipsam ob causam à Deo producebantur, ut populo isti horrendas clades annunciarent.

Lucæ 12. dicebat Christus ad turbas: Cùm videritis nubem

bem orientem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fit, & cùm austrum flantem, dicitis, quòd æstus erit, & fit: Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare, &c. quo dicto colligitur, tunc temporis etiam signa sumta esse ex cœlo & nubibus.

Matth. 17. legimus, curasse Jesum lunaticum, qui sæpè cadebat in ignem, & crebrò in aquam. Is dubio procul secundum motum Lunæ fuit correptus. Unde necessariò sequitur, Deum Lunæ vires peculiares in morbis excitandis indidisse, & secundis causis in hæc inferiora potestatem permisisse, iisque tanquam instrumentis etiamnum uti. Est enim cœlum synergon Dei. Hæc sunt testimonia S. Lit. Audiamus porrò etiam testimonia Scriptorum Ecclesiasticorum & Patrum, ut & nostri ævi insignium quorundam virorum, ut Astrologicæ divinationes magis stabiliantur & confirmentur.

Basilius Magnus lib. hexameron, homil. 6. Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos: necessariæ profectò sunt luminarium in hominum vita significationes: nam si non ultra modum signa quispiam, quæ ab ipsis proficiscuntur, exploret, utiles ipsorum observationes eas invenerit, quas experientia longa probavit. Quanto autem sint emolumento vitæ humanæ, quantamq; utilitatem eidem præstent, tales ex hisce luminibus observationes quis ignorat. Idem de 4. anni temporibus tractans ait, hæ temporum vicissitudines, hæ varietates, Solis motiones consectantes, vitam nobis, & quæ ad vitam sunt necessaria, disponunt atq; administrant.

D. Ambrosius l. 4. hexam. c. 4. Quomodo luminaria facta sint in signa, non possumus negare, quod ex Sole & Luna aliquot signa colligantur. Nam & Dominus dixit: Et erunt signa, in Sole, Luna, & stellis. Sed in sequentibus reprehendit abusum illorum, qui volunt, hæc signa afferre nascentibus necessitatem quandam, cùm paucos nunc esse arbitror, qui hoc credunt

Dignus locus considerationis.

dunt (neque ego id unquam credidi) sed inclinationem vel significationem quandam afferre à necessitate liberam. Relicta enim nobis est libera voluntas & electio, &c.

Augustin. de civitate Dei. Non usquequaque absurdè dici potest, solùm ad corporum differentias afflatus quosdam sidereos pervenire: & ideò si aliquis judiciis astrorum utatur, ad prænoscendum corporales effectus, puta tempestatem & serenitatem aëris, sanitatem vel infirmitatem corporis, vel ubertatem & sterilitatem frugum, & similia quæ ex corporibus & naturalibus causis dependent, nullum videtur esse peccatum. Nam omnes homines circa tales effectus aliqua utuntur observatione corporum cœlestium, sicut agriculæ seminant, & metunt certo tempore, quod observatur secundum motum Solis. Nautæ navigationem vitant in plenilunio, vel etiam in Lunæ defectu. Medici circa morbos certos dies observant, qui determinantur secundum motum Solis & Lunæ. Idem Januarium scribens, dicit: Non autem quisquam Sapiens observatores temporum reprehendendos, quia dicunt: Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est, &c. vel si qui fortè alii naturales effectus circa motum aëris & humoris ad variandas temporum qualitates ex siderum ordinatissima conversione notati sunt, de quibus dictum est, cùm conderentur, ut sint in signa, & tempora, &c.

NB.

Chrysostom. homil. 6. in cap. 1. Genes. Quid est in signa, & in tempora, & in annos, & in dies? Docere nos vult divina scriptura, quòd horum cursus Scientiam nobis concedit temporum, & vicissitudines versionum, numerum dierum, anni curriculum, & ex his possumus dignoscere omnia.

Origenes in tomis super Genes. referente Eusebio lib. 6. depræpar. Evangel. c. 9. cùm primum caput exponeret, stellas dicit à Deo positas in cœlo, ut essent in signa, hoc est, ut per varios

rios eorũ aſpectus & conjunctiones ſignificarent univerſas & ſingulas humanarũ rerum cauſas, nõ tamen efficerent. Depinxit enim Deus in ſtellis ſignificationes & rationes omnium futurorum humanæ generationis eventuum, ut virtutes ſupernorum ſpirituũ in iis, velut i in libris legerentur, quæcunq; hominibus, citra tamen ullam liberi arbitrii coactionem, per ſingula temporum intervalla eſſent eventura, & inde aliquam hujus ſcientiæ partem, quæ humani ingenii vires excellit, hominibus, ſtellarum obſervatoribus revelarent: atq; ſecundum hunc ſenſum putavit Origenes intelligendam eſſe ſententiam quandam in libro, cui titulus eſt: Narratio Joſephi, olim apud multos Catholicos in autoritatem recepto, in quo Jacob Patriarcha introducitur ad filios ſuos dicens, Legi in tabulis cœli, quæcunq; ſunt eventura vobis & filiis veſtris.

Johannes Zonaras dicto quoque Moſaico lumen affert, dum inquit: Quartus dies ortum habuit luminum, Solis, Lunæ, ac reliquarum ſtellarum, atq; his opifex cœlum exornavit, iisq; motus, exortus, curſus, & occaſus deſtinavit, ut terrę ambitus per ea illuſtraretur, & menſura temporis à circuitibus eorum peteretur, præberentq; iis, qui exortum eorum rectiſſimè obſervarent, magnam, minimeque fallacem certitudinem & utilitatem.

Nec diſſentit Matthæus Beroaldus: Principio Deus Opt. Max. creatis cœlis, deinde affixis iis ſideribus, quorſum illa condidiſſet, ex ſuo verbo demonſtravit, cùm Solem interdiu lucem præbere mortalibus, Lunam autem cum reliquis ſtellis noctu idem præſtare juſſit. Adhæc iſta voluit eſſe in ſigna, tempora, dies & annos, ut Geneſ. 1. perſpicuè docetur: Et ſigna quidem, quæ ſcriptura dicit othoth, intelliguntur prognoſtica tempeſtatum, quæ à nautis, agricolis & medicis obſervantur. Nam vergiliarum, Arcturi item, Orionis & Caniculæ, ſimi-

liumq; ortus & occasus, insignes temporum conversiones notant. Ex quo non frustrà talia animadverterunt artifices, qui tempestatum significationibus, sua maturant vel differunt negotia, aut ea curant in tempore. Et ea quidem nota & observata fuisse populo Dei, testatur locus ille apud Jobum & Amos.

Eodem encomio ornarunt artem Michaël Glycas, & Ægydius Columnus Cardinalis. Aliquid prævidere, inquit Glycas, deq; signis quibusdam id, quod futurum sit, obscuriusculè conjectare nos posse, citra contradictionem omnem fatemur. Nam in rebus adeò manifestis diu sanè resistere nequeamus. Quanquam enim homo in paradiso peccavit, quanquam concessum sibi vaticinandi munus atq; beneficium amisit, non tamen misericors ille Deus prorsus eum similem evadere brutis permisit. Quo fit, ut signa quædam ei suppeditet, de quibus interdum futura prospiciat, eoq; pacto securitati suæ consulat.

Columnus Cardinalis: Non tantùm luminaria cœli sunt signa inferiorum, sed etiam causæ, ut, quando rutilat cœlum, prognosticamus serenitatem, & sic corpora cœlestia non solùm sunt causa istius rubedinis, quæ est signum serenitatis, sed etiam sunt causæ serenitatis, ideò tam sunt signa quàm causæ, ita, ut negare, corpora cœlestia habere effectum in hæc inferiora, sit negare sensum communẽ, cùm sensibiliter experiamur, quòd Sol nos calefaciat, & Luna nos infrigidet.

Idem alio loco: Est cœlum primum in universo, ut Rabbi Moses ait, sicut cor in animali, cujus motus si ad horam quiesceret, statim finiret animalium vita, & sic est quasi quædam vita in universo, quòd res sic agunt, & patiuntur invicem.

Plato in Timæo vitam nobis corpoream à stellis infundi affirmat: siderumq; circuitus efficere varias vices, non solùm animantium corporibus & vitæ, sed etiam universæ naturę rerum, Imperiis & Rebuspub. & quemadmodum agricolis præcipi-

cipitur, ut tempestatum signa observent, ita in Republica Magni viri mutationum signa intelligere debent, & considerare.

Aristoteles in Meteorolog. Mundus hic inferior est contiguus superioribus lationibus, ut vis ipsius universa inde gubernetur.

Plinius l. 2. suæ natur. histor. Conjunctiones & aspectus luminarium Planetarumq́; , secundum affectionem stellarum fixarum, prope quas contingunt, alios atque alios inducunt effectus.

Seneca ad Martium: Vides micante uno sidere omnia impleri: Solem quotidiano cursu diei noctisq́; spacia signantem: vides Lunam successione à fraternis occursibus, lene remissumq́; lumen mutuantem, & modò occultam, modò toto orbe terris imminentem: vides quinq; sidera diversas agentia vias, & in contrarium præcipiti motu nitentia. Ex horum levissimis motibus fortunæ populorum disponuntur, & maximæ ac minimæ inde formantur, prout æquum iniquúmve sidus incessit.

Hippocrates libro de aëre, aqua, & locis ait: Oportet medicum astrorum ortus & occasus observare, (præcipuè verò canis, arcturi, Plejadum) morbi enim in his judicantur maximè, alii enim perimunt, alii desinunt, aut in aliam speciem statumq́; mutantur. Vide l. 3. aphor. & Galen. in 3. comment. l. 1. epidem. qui præter alia graviter reprehendit, negantes inferiora corpora affici à cœlestibus corporibus, aitq́; Sophisticum esse, manifestam negare experientiam. Idem Galenus in arte medicinali, ab aëre affici & mutari substantiam corporis nostri apertè scriptum reliquit.

Hermeticum pronunciatum est: Solem & Lunam, post Deum omnium viventium esse vitam.

Lucius Columella singulos dies Astronomica ratione ob-

servari præcepit, tum propter rei rusticæ utilitatem, tum propter pericula quamplurima evitanda, quæ moniti à peritis ejus disciplinæ cavere possumus.

Thomas Aquinas: Ex Astrologia prædicere possumus dispositionem corporis, motum sensuum, ac res varias, aliquo
NB. modo etiam intellectum, nam corruptis ab aliquo astro sensibus, intellectus etiam patitur: voluntas autem nullo modo attingitur, liberaq; semper & incolumis permanet. Accongruunt cum hac sententia Damascenus, Scotus, & plures alii.

Antonius Archiepiscopus Florentinus tit. 12. paragr. 6. corpora cœlestia imprimunt in corpus humanum, & per consequens in potentias sensitivas, quę sunt affixæ corporeis organis. Vires autem sensitivæ, ubi surgunt, passiones inclinant ad actus rationem, non tamen cogunt.

Leonhardus Varius Boneventanus, Ordinis S. Benedicti-ni: Deus regit inferiora per superiora: ex prædictis enim clarum & manifestum esse constat, cœlum & sidera in hæc inferiora corpora, motu & lumine concomitante agere, quæ quidem actio regimen & gubernatio appellatur, Dei voluntate sic imperante atque ordinante, ut scilicet suæ divinæ virtutis cœlum esset universale instrumentum.

Franciscus Patritius dialog. 3. Est certò certius, quod infe-
NB. riora hæc superiorum facultate gubernantur. Nam & bella ipsa quadam astrorum vi moventur, quæ hominum corda calefacit, & ad vindicandum excitat. Manifestumq; est etiam, famem atq; pestilentiam aëris vitio generatas ex cœlesti lumine habere originẽ, nec aliunde terræ motus hiatusq;, modò hoc, modò illo loco generari. Sunt enim terræ spacia certis cœli regionibus distincta, hæcq; subjecta certis luminum aspectibus, qui tempore & cœlestium orbium conversione producuntur, & in subjectam regionem, eos quos dixi effectus immittunt.

Appia-

Appianus in Cęsareo Astronomico. Apud omnes in confesso est, astra quædã divinæ virtutis esse instrumenta, per quæ universum illud gubernari credimus. Siderum enim opera, effectus seu inclinationes seu influentias dicas, divinæ providentiæ quædam esse documenta, quis est qui neget? Cùm nihil non in hoc mundo juxta astrorum dispositiones effici videamus, quamvis omnia in Deum referri soleant. Quemadmodum autem non securi operis cujusdam structuram tribueris, sed fabro, qui hac utitur: sic astrorum effectus, qui motus eorundem consequuntur, non ipsis astris, sed Deo illa regenti, gubernantiq; causæ, veluti primariæ ascribere debemus. Hujusmodi astrorum cursus & motus multiplices, nobis cum Deus Opt. Max. patefaciat, cœlumque ipsum tanquam librum apertum, in quo futura per stellarum & luminarium transcursus, significantur, recludat, pauca & nos super his, quæ ex eo nobis libro collecta sint, dicere instituimus. *NB.*

Henricus Ranzovius lib. de conservanda valetud. Secunda causa morborum, & destructionis depravationisq; corporum nostrorum, est sinister & malevolus siderum cœlestium influxus, temperamentorumq; infelicitas. Nam uti singulis rebus proprietates certæ sunt ingenitæ, quas Deus ab æterno naturalibus effectibus coaptavit: ita singularis quoq; efficacia & vis divinitus insita est corporibus cœlestibus, quæ Deus non propterea tantùm certo ordine ac magnitudine creavit, ut annos, dies, & menses discernerent, sed ut essent quoque nobis signa, ex quibus quædam rerum futurarum caperemus argumenta. Pendent enim inferiora ex superioribus, & terrena à cœlestibus & cognatione quadã mutua inter se continentur. Proinde corpora superiora occultam quandam vim & virtutem in hæc inferiora infundunt, per quam humores in corporibus nostris mutantur, corrumpuntur, augentur, & diminu- *NB.*

untur, secundum siderum positum & qualitatem. Et hoc quotidiana experientia, certissima omnium rerum magistra clarius evidentiusque docet, quàm ut ulla demonstratione egere videatur. Ac si fidem quis dictis adhibere noluerit, Lunam mihi consideret, quæ præcipuum sibi in humores dominium vindicat: crescente enim ipsâ, crescunt & humores, sanguis & medulla in homine & bestiis. Cùm igitur constet, humores in corporibus nostris regi à superioribus, ex malis autem corporum humoribus oriri morbos, ex his interitus, non immeritò sanè mortis & cæterorum morborum causa in corpora cœlestia aliqua ex parte refertur.

Richardus Dinothus Normannus de Astrologia: Stellæ sua quantitate, lumine, situ, cursu, movent atque ordinant omnem mundi materiam, & locum eorum, quæ oriuntur & intereunt. Quocirca Astrologiæ studium apprimè utile, & decorum censendum. Qui putant inquisitionem astrorum secretarumq; virium ac influxionum ipsorum, Dei providentiæ derogare, maximè falluntur. Nam ipsius Dei Majestas magis illustratur, cùm tam magnas res eum per creaturas suas efficere intelligimus.

NB. Lector.

Christophorus Milæus: Cùm Astrologi in terrena diversos effectus mutua quadam atq; ea naturali astrorum consensione & concordia influere cognoscerent, frequenti reditu observatæ ab iis sunt rerum conversiones, incrementa atq; inclinationes, quæ præsentiri ac prædici ab iis possunt. Cujusmodi videmus serenitatis & tempestatum signa, sterilitatis ac fertilitatis tempora, quæq; ad agriculturam exercendam pertinent, ut sunt arationis, insitionis, condendi, exscindendi ligna aut saxa: etiam ad navigationum peregrinationumq; oportunitates, & idonea medicorum ad curationes tempora deligenda. Ex eadem cœlestium consensione, cùm iidem multos eventus, simi-

similitudine ducti inter se conferrent, ex siderum, quæ natalitia vocant, situ inquisiverunt, quę cuique eventura, quo quisq; fato natus esset, ut inde mores, ingenium, corpus vitę actiones, & ad quam maximè rem quisque aptus futurus sit, cognoscerent. Post accommodata actionum diversarum tempora, res calamitatum prænuncias, bella, morbos, eluviones, æstus ingentes, terræmotus, graves etiam Rerumpubl. commutationes, quæ nulla cognitione hominibus constare posse videntur, investigare solent. Omnis autem de astris scientia, utrumque Astronomiæ & Astrologiæ nomen habuit, in qua Magni, etiam Principes viri studiosè sunt versati. Antiquissimis namq; temporibus maximi & divini honores eidem communibus animis deferebantur, earumq; rerum contemplatoribus atq; amplificatoribus summa præmia publicè solita erant proponi.

Cornelius Gemma Lovanienſis: Ex astrorum influxu, si methodus adsit, plurima præsagiri puto, quæ ad naturam corporis ac temperamentum pertinent, quæq; ad valetudinis statum. Quæ verò ad propensiones animorum ad hæc vel illa studia, & vitiorum semina referuntur, significari interdum, sed majori virium interstitio, quo plurimum enervantur, ac veluti ex accidente pertingunt, præsertim quando immutent amplius parentum indoles, patria, consuetudo & educatio: porrò quod reliquum est, electiones operum in pluribus valent.

Joh. Bodinus: Licet igitur, semperq; licuit cœlestium luminum virtutem inquirere, modò in causis naturalibus consistatur. Nam in eo versatur Dei gloria, quòd per creaturas suas facit res tam mirabiles. Hæc fuit sententia quoque Damasceni, Thomæ Aquinatis libro de sortibus, & altero de judiciis Astrologicis: atque etiam Scoti. Et verè Astrologia cœlestium effectionum notitia, à Deo donata est. Sed Deus est superior omnibus istis, & qui confidit Deo, hic nihil ab astris debet metuere. *Astrologia quid?*

Sixtus

NB. Sixtus ab Hemminga, Nob. Frisius, in Epist. ad Henr. Ranzovium: Cœlum expansum, & infinitis luminibus exornatum, repræsentat nobis imaginem æternitatis, sed cujus literas, lectionem & intelligentiam perfectè non tenemus. De effectu siderum autem in elementis, & iis quæ ex elementis constant, meritò nihil addubitamus, sed cujus minimã tantùm partem percipimus, non talem, neque tantam, quæ per deductionem causarum ex effectibus, ad perfectam futurorum cognitionem nanciscendam, sufficiat.

Astralem deniq; & verè spectabilem hunc chorum claudet Lambertus Danæus in sua phys. c. 31. ubi dicit, corpora superiora esse inferiorum, maximè terrenarum, tum gignendarum, tum conservandarum, tum etiam terminandarum & finiendarum causas quasdam secundas, quibus Dominus ordinariè quidem utitur: quanquam eas tamen cùm illi visum est, prorsus omittit, &c. Et paulò post: Non modò superiora sunt ista corpora cœlestia, sed etiam vi quadam sibi à Deo infusa inres istas inferiores temperamenta & qualitates partim injiciunt, partim movent & excitant, per quas istæ res terrenæ vel producuntur, vel conservantur, vel etiam flaccescunt, marcescunt, tandemque intereunt & corrumpuntur. Has qualitates ex istis corporibus dependentes ac defluentes influentias appellant, quæ non ex elementari regione in cœlestem ascendunt, sed ex cœlesti illa & superiori in hanc terrenã descendunt.

Possent plura hujusmodi testimonia in medium afferri, sed puto hæc sufficere stolidæ & rudi turbæ astrorum influxum ridenti. Si enim significationes istæ considerandæ non essent, non etiam in cœlo divinitus forent scriptæ & pictæ. Jam autem Deus signa & notas cœlo impressit, ut Rebus publ. denunciarent ingentes casus, calamitates & excidia. Eclipses siquidem,

dem, Conjunctiones, Cometæ & alia prodigia, quid sunt aliud quàm oracula Dei, quibus minitatur vitæ hominum ingentes & calamitosas mutationes. Hæc qui contemnit, Dei monitiones spernit, invertitq́; naturæ ordinem, & labefactat certitudinem actionum admirandorum operum Dei, quæ contemplari & intelligere ex certorum signorũ objectu, sapientia est, Deo ejusq́ue verbo non repugnans. Sed forsan hîc regerent, cœlestium corporum vim & influxum in hæc inferiora se non negare, nec damnare illos Astrologos, qui siderum motus, distantias, progressus, regressusq́ue metiuntur & investigant, sed eos, qui de particularibus hominum eventibus ex siderum positu judicant & pronunciant, tales enim à Scriptura damnari, talemq́; Astrologiam severè prohiberi. Verùm de hoc prætextu paulò post, tantum enim abest ut Astrologiam falsitatis arguat, ut contrarium potius demonstret.

Pergo nunc ad illam turbam hominum, qui omnium hominum fata, omniumq́; quæ eveniunt rerum causas protinus è cœlo deduxerunt, nec cavere sibi à vi & potestate siderum, quenq́; posse arbitrati sunt, stellasq́; esse quasi tela & arma fati, cujus arbitrio efficiantur cuncta. Inter hos primi fuerunt plerique Chaldæi ac Ægyptii, qui genituras hominum stellis alligarunt, & voluntates etiam humanas illis mancipârunt, astrorumq́; significatis tanquam edictis aut decretis prætoriis homines astrinxerunt, primos parentes nõ Diaboli solùm instinctu & assensu liberæ voluntatis ruisse in peccatum, sed etiam siniſtro siderum impulsu asseverarunt. Hæc est genethliaca illa Astrologia à Patribus, Principibus, Philosophis, Oratoribus atque Poëtis, ut vana & impia rectè damnata & impugnata, hanc ipse, ut ordini divino contrariam, damno. Cùm enim Deus perfectissimam habeat futurorũ scientiam, solusq́; eorundem sit præscius, ac nemo mortalium crastinum sibi polliceri diem au- *NB.*

sit, sequitur illos Astrologos, qui sine fide in Deum ex astris ut numinibus pendent, ad orcum usq; esse damnandos. De his Astrologis intelligendi sunt omnes textus S. S. Levit. 19. & 20. Deut. 4. 13. & 17. Esa. 47. ubi expressè fit mentio incantatorum & maleficorum. Jerem. 10. & plures alii. Item August. lib. quæst. Vet. & Nov. Test. quæst. 115. de doctr. Christiana à cap. 17. usque ad 23. Lactantius l. 2. c. 14. Eusebius de præpar. Evang. l. 15. cap. 1. & 2. Quemadmodum autem primum hominum genus peccavit in defectu, sic hoc in excessu.

Quapropter stylum promoveo ad illos, qui media eaque tutissima ingrediuntur via, statuentes Astrologiam esse artem & veram doctrinam de cœlestibus effectionibus. Unde Astrologiam definiunt partem eruditam physices, stellarum naturas, proprietates & effectus inquirentem, & ex prævisis comprehensisq;, beneficio Astronomiæ, stellarum motibus, positu & configurationibus, futurorum & secuturorum effectuum ratiocinationem quandam esse & deductionem: non commentitiam illam, sed extructam de veræ ac eruditæ experientiæ testimoniis, constantem demonstrationibus τὸ ὅτι, id est, ex effectis contextis. Unde veram esse artem, generiq; humano utilem sequitur, quod in artis etiam definitione requiritur. Atque hîc primum peto, quod æquissimum est, ne in artem conferantur artificum errata. *NB.* Si enim Logicus non semper benè differit, quid hoc ad artem? Si medicus non rectè curat, quid hoc ad Medicinam? Si Politica Scientia omnes Rerumpublicarum tempestates prævidere, mederiq; omnibus incommodis non potest, quid hoc ad ipsam Scientiam? Si Ethicus non semper prudenter, temperanterq; vivit, quid hoc ad Ethicam? Si Theologus in docendo, disputando, concionandóve quandoque exorbitat, quid hoc ad Theologiam? Si Geometra non rectè metitur, quid hoc ad artem ipsam? Si Historicus falsa memorat,

morat, quid hoc ad ipsam Scientiam? Si Poëta Momus in Momus corripit, quid hoc ad artem? Si Jurisconsultus justitiam administrat ceratam, quid, quæso hoc ad Jurisprudentiam? Ita si Astrologus prædictionibus suis non semper verum dicit, nihil hoc derogat arti Astrologicæ, quæ est universalis & perpetua doctrina ex particularibus paucorum eventuum significationibus orta. Quapropter etiamsi non tam multæ sint hujus artis demonstrationes, quàm cæterarum leviorum, tamen spernenda propterea non est, nam magnitudini hoc ejus & sublimitati tribuendum. Versatur enim hæc ars in rebus, quas Deus procul removit à conspectu nostro & sensibus, & cùm hominum mores & temperamenta dijudicet, vaticineturq; de futuris maximarũ in vita rerum mutationibus, divinitas quædam esse videtur. Unde etiam sublimior semper habita est, quàm ut vulgi judicio subjiceretur. Extenuat hanc artem Favorinus apud Gellium, dicens: Pauca quædam prævideri παχυμερέστερον, Ægidius Columnus Cardinalis, utitur voce *obscuriusculè*: & rectè quidem uterque. Nam hoc ipso amplissimo encomio ornârunt artem: siquidem ille quædam in natura & moribus præcipua animadverti posse asserit, ex quibus homines sagaces & eruditi plurima postea judicant atque observant. Videt Astrologus in alicujus genesi diros positus & aspectus Planetarum, significantes audaciam animi crudelitatem, præposteros mores, inquieta & turbulenta consilia, quibus infaustis significationibus, quæ quidem sunt certæ, conjicere licet, futurum talem seditiosum, habiturumque tragicum exitum, & ita insignia quædam in moribus & temperamentis παχυμερέστερον & obscuriusculè judicari possunt, quæ tamen non fallunt, quamvis non semper contingant. Sapiens enim anima dominatur astris, rationeq; & consilio multa præcaveri possunt. Magnoperè autem prodest hæc consideratio magnis & prudentibus viris, ut

regere aliqua ex parte fortunam, & cavere sævas tempestates possint. Rectè enim dictum:

Qui sapit, ille animum fortunæ præparat omni,
Præviſumq́; potest arte levare malum.

Si parentes filiorum interdum suorum naturam satis perspectam haberent, flectere etiam melius sæva & fera ingenia ad moderationem possent, immoderatosque eorum affectus ac impetus coërcere. Quàm multi sunt, qui calamitosum vitæ exitum experiuntur in juventute, quos scilicet Martis vel Saturni in ascendente tempore horæ natalis infaustus positus ad immoderatos & iracundos animi impetus affectusq́; disponit? Unde hanc dispositionem ignorantes oriri à malo positu Martis, sine ullo repectu honesti, in quævis se pericula præcipitant.

NB. Quod si præsciviſſent Martis in dicto loco inclinationes & significationes, refrenare etiam & compescere effrenatos animi impetus potuissent, Deumq́; orasse, ut sideris infaustum influxum ac inclinationem vel planè avertisset, vel saltem mitigasset. Jam dic, amabo te, mihi, quisquis es, an sic divinare ex astris sit impium, sit superstitiosum? Nemo nisi planè ἀπαίδευτος, ac excors, cœlestiaque parum curans negabit. Unum tamen hîc præteritum non oportuit, quòd etiam apud doctos arti fidem derogare videtur, videlicet in infinita hac casuum & humanorum eventuum varietate, artem ipsam non omnia prævidere. Unde negant homines etiam eruditi Astrologiam esse artem, hoc est, universalem & perpetuam existere doctrinam posse ex paucorum eventuum particularibus observationibus: quasi verò aut Medicina morbos curet omnes, aut Politica sapientia omnes Rerumpublicarum tempestates prospicere, mederiq́; omnibus incommodis possit? Et tamen concedendum est, & multa utriusq; artis esse vera & firma præcepta, & ad vitam utilia. Sic & Astrologia veras quasdam habet & perpetuas significatio-

ficationes, quamvis pauciores forsan quàm Medicorum. Unde necessariò elicitur, si siderum est aliquis influxus ac effectus in hæc inferiora, temperamenta etiam & humores, Astrologiam esse eruditæ physices partem, perinde ut Medicorū prædictiones. Quæcunq; enim Scientia docet, quos effectus astrorum lux in elementis & mixtis habeat, qualiaq́; temperamenta, quas alterationes, quasq́; inclinationes excitet, illa in omni vitæ genere & studio est utilis. Astrologia autem est talis. Ergo. Cumq́; inclinationibus sæpè studia, consilia, casusque respondeant, ideò horum quoque significationes aliquas monstrat. Neq; enim putandum est, sideralem influxum in amplum tantùm aërem extendi, sed etiam ad particularem constitutionem hominum. Qui igitur negat influxus astrorum dirigi ad singularia, ei certè nihil deest præter cor. Ita autem diriguntur ad singularia, ut fortunarum & actionum humanarum autores & directores non constituantur Venus in hac, Jupiter in vita altera, ut impiè statuit Maternus, qui etiam eò dementię & audaciæ progressus est, ut certis constellationibus assignet beatitudinem futuram in altera vita. *NB.*

Pari ratione improbatur, quod Albumasar scribit: Qui orat Deum, quando Luna Jovi in capite draconis conjuncta est, is omnia impetrabit. Ex quibus certè liquidè constat, esse Astrologiam Ethnicam, vanam, & superstitiosam, & esse quoq; licitam, nec impiam, moderationem tamen summam adhibendam, prædictionumq́; certitudinem, de secuturis ad stellarum effectiones mutationibus, aliarum & superiorum quoq; causarum mentione restringendam, verecundeq́; moderandam. Pius enim & sanæ mentis Astrologus non evagatur extra cœli pomœria, non affirmat ea, quæ à potestate astrorum provenire non possunt, nec miscet sortes, & ejusmodi divinationum genera, quæ Ptolomæus vocat ἀναπολόγητα. Interim tamen *NB.*

multa judicari posse, & judicata esse ex positu astrorum affirmat de valetudine corporum, ingeniorum diversorum natura, multisq; in vita casibus, quarum rerum consideratio plurimum conducit prudentibus, & in officio cõstitutis, & ad Reipubl. gubernacula sedentibus. Magni profectò interest scire, quo quis loco cœli, supráne an infra terram, tempore genituræ habuerit omnes Planetas, conducit enim id ad vitæ actiones, animiq; motus moderandos. Sapientis igitur est aspicere naturam, sed major sapientia, adjungere Rectorem Deum, ut, si
NB. quid mali aut astrorum positus, aut inclinatio naturæ minitetur, sciamus Deum velle, piis tamen precibus exoratum, moderari eventus & mitigare. Mars in occidentis angulo cum Luna, quoties fuit multis calamitosus? Saturnus in eodem loco, quoties multis funestus? Sapiens certè anima has observationes & significationes negligere non debet, quæ, Ptol. teste, cœlestem operationem adjuvat, quemadmodum optimus agricola arando expurgandoq; adjuvat naturam. Latissimè autem hoc patet in cura valetudinis, in deligendo vitæ genere, studiive, suscipiendis negotiis vel aptis, vel ab ingenio abhorrentibus. Magna certè hæc sunt, & admiratione digna. Cyclopum & Bœotum in agro nati hæc fastidiosè derident: nec mirum, quoniam terræ impuræ filii orbiculationes cœlestes, & inde dependentes effectiones parum vel nihil curant, cœlum intuentes, ut vacca nigra portam albam. Sed premo hoc, & cesso, illustrius operæ me pretium facturum existimans, si per variarum nativitatum exempla incedens, varias ex vario stellarum concursu & configuratione, tam in aëre quàm hominibus prædictiones inopinatorum eventuum, quos omni tempore diligentiores Astrologi observarunt & collegerunt, ad arti conciliandam fidem, hîc recenserem.

N.B Rectè enim Tacitus, paucos mortalium excipi, scribit, quibus

quibus non primo cujusque ortu à natura eventura destinentur: cujus clara documenta antiqua ætas & sua tulerit, & jam etiam nostra vidit, sed quædam secus quàm dicta sunt, cadere, propter ignorantiam & errorem artificum, & ita corrumpi fidem artis. Hæc Tacitus, quibus addi potest falsa temporis natalis relatio, partiumque & minutorum mobilium ac labentium celeritas, rapidissimusq; siderum cœli ac rotatæ vertiginis cursus, & nondum exacta omnium motuum cœlestium cognitio: interim tamen παχυμερέστερον & rudiusculè Astrologo divinare licet.

Nemesius de fato, inquit, quòd Ægyptii sapientes statuerint fatum in astris positũ, sed precibus ad Deum flecti & mutari. Unde liquet, constituisse illos fatum astrale rerum contingentium non necessarium, observasseq; ac notasse cujusq; vitam ex natali die, quem præ cæteris prædictionibus Astrologicis ut maxime idoneum observarunt. Herodotus id confirmans, ait: Ægyptii ad indicatum cujusq; partus momentum, de vitæ curriculo, ingenio, conditione atque fato mortis vaticinari soliti. His astipulatur Cic. l. de divinat. cùm scribit: Chaldæos ex diuturna siderum aspectione, observationeque scientiam effeciſſe, ut prædici posset, quid cuiq; eventurum, & quo quisque fato esset natus. Nunc ad ipsa Astrologicarum prædictionum exempla. *NB.*

Astrologus quidam, nomine Basilius, ex nativitate Alexandri Medicei pręviderat mortem violentam per manus violentas, unde Alexandrum præmonuit. Alius quidam paulò specialius hoc prædixit, pugione scilicet transfossum iri, à quodam sui familiarissimo & amicissimo: (nimis speciale est, quòd instrumentum nominat, nam ex astris id prævideri vix ac ne vix quidem potest: sufficit honestis mentibus in generalibus acquiescere, ita enim arti fides non derogatur.) Triduo autem ante, *Memorabilia nativitatum exempla.* *NB. Lector.*

ante, quàm affinis ejus Laurentius Mediceus eum interfeciſſet, accidit, ut ejus præguſtator (non enim niſi præguſtatos cibos ſumpſit) Horatius Peruſianus febre laborans, ter una nocte ſomniaret, Laurentium Mediceum Alexandro Duci gulam præcidere: quo ſomnio commotus Ducis Medico Paſchalio id ſecretò ſignificavit. Paſchalius nihil in ſe deſiderari patiebatur, ſed officii ſui eſſe duxit, Duci in ſuo conclavi ſubtriſtiori quàm conſueverat, id indicare, qui tum paulò poſt à Laurentio, poſtquam dolo in cubiculum eſſet vocatus, pugione trucidatus eſt, teſt. Jovius & Sabellicus in ſupplemento.

Idem Petro Ludovico Farneſio, Pontificis Pauli III. filio, accidiſſe legimus, qui, poſtquam Aſtrologus hoc prædixiſſet, Placentiæ in ſuo palatio fuit interfectus. Schleid. l. 19.

Ladiſlao Regi Poloniæ, matre Sophia nato, adoleſcenti adhuc, ab Aſtrologis prædictum eſt, futurum ipſum magnum Regem, ſed ad longævam vitam vix duraturum. Hic Poloniæ ſimul & Hungariæ Rex electus eſt 20. ætatis ſuæ anno, interfectusq; eſt à Turca apud Varnam. Frater autẽ ipſius Caſimirus, cui longiorem vitam aſtra promiſerant, huic ſucceſſit. M. Cromerus lib. 19. & 29. hiſtor. Polonicæ.

Memorabile eſt quoque, quod de magnis illis Ducibus Sforcia & Braccio de Montone hiſtoriæ memorant. Cùm enim Braccio certior factus eſſet, Magnum Sforciam hoſtem ſuum in flumine Peſcara, ſuppetias nobili ſuo cubiculario, quem equus in flumen præcipitarat, laturum, ſuffocatum eſſe (erat autem hoc ei mortis genus prædictum) tantum abeſt, ut ejus morte fuerit exhilaratus, ut etiam in ſummum mœrorem conjiceretur, propterea quòd ab Aſtrologo quodam conſulto, quem vitæ exitum ipſe habiturus ſit, reſciviſſet, brevi eum non leniori mortis genere interemptum iri: ac divinationi reſpondit eventus: elapſis enim 5. menſibus, cùm obſidionem & expu-

expugnationem Aquilanam fortiter redintegraret & urgeret, forti eruptione facta ab hoste interemptus est, Jovius in vita Sforciæ. Volateranus l. 23. Sabellicus l. 10.

Alexander Magnus, cùm in suam potestatem redegisset Indiam universam, & victor cum exercitu reversus esset in Babylonem, quam urbem aulæ habendæ delegerat, in intinere à Chaldæis peritissimis Astrologis, atque inprimis Belophante, quem cæteri tanquam autoritate & doctrina eminentem ad munus hoc delegerant, ne urbem Rex ipse introiret, fore enim, si urbem ingrederetur, ut non multo post vitam cum regno amitteret. Eo vaticinio haudquaquam vano, cùm animus Regis percelleretur gravius, atq; is præmissis in urbem amicis deflectere ab instituto itinere statuisset, non tantùm gnathones aulici, qui regiæ urbis delitiis & splendore capiebantur, sed etiam Philosophi contemnere Regem prædictiones Astrologicas, & depositio omni metu ingredi regiam urbem jusserunt. Horum igitur consilio cùm credulus nimium obtemperasset, atque urbem ingressus, Hephestioni funus feciisset sumptuosissimum, paulò post ardentissima febre ex immoderatiore vini usu correptus fatalem diem obiit, exitu tristissimo adulatorum vanitatem in ridendis prædictionibus Astrologicis refellens. Diodorus Siculus.

Refert idem Theodorus, Seleucum scripsisse Chaldæos prædixisse sibi Alexandri interitū, & partitionem regni in quatuor duces. Unde Seleucus hanc utilitatem est consecutus, quòd talia præsciens sua consilia melius in illum eventum dirigere, & occasionem oblatam ad optatum exitum persequi potuit. Non multò post Alexandri mortem, cùm Seleucus Babylonis esset Satrapa, & Antigonus rationes superbè ab eo reposceret, metuens potentiam Antigoni Seleucus, in Ægyptum ad Ptolomæum confugit, ut præsidio ejus se muniret. Eam fu-

gam magna cum voluptate audivit Antigonus, quòd speraret regnum Babylonis à Seleuco desertum sine negotio se esse occupaturum. Sed cùm Chaldæi ad ipsum veniissent, & dicerent, Seleucum, si ex manibus dimitteretur, paulò post dominum fore totius Asiæ minoris, & ipsum Antigonum prælio à Seleuco devictum, interiturum. Antigonus, contemptor aliâs illarum Astrologicarum divinationum, motus dignitate atq; autoritate eorum qui talia nunciabant, non leviter est consternatus, itaque emisit equites, qui Seleucum persequerentur, & fugâ retraherent. Sed & illi re infecta redierunt, & non mulò post Seleucus interfecto in acie Antigono, & Asia minore subactâ, prædictionibus Chaldæorum fecit fidem.

Publius Nigidius, auditâ, quâ in lucem editus erat Augustus, horâ, affirmare non dubitavit, Dominum orbis terræ natum esse, teste Tacito, Dione, Volaterano. Xiphilinus ex Dione hunc locum sic recensèt: Nigidius Figulus Senator, statim Augusto prædixit Imperium: noverat is supra omnes homines suę ætatis totius cœli ordinem & cursum, tenebat stellarum vim & differentiam, quid ipsæ aut per se, aut cum aliis conjunctæ possint & efficiant, quorum etiam studiorum causa culpatus est, quasi magicis uteretur artibus. Hic igitur, ut vidit Octavium serius propter uxoris partũ in curiam venientem, (nam tunc fortè Senatus erat) statim exclamat: Nobis, Octavi, Dominum genuisti: qua de re perculsum Octavium, atque iccircò puerulum interficere volentem prohibuit, nam ut hoc modo filius tuus, inquit, moriatur, fieri certè nullo modo potest.

NB. Idem Publius adeò in hac disciplina claruit, ut, cùm disputaretur, cur gemini diversa haberent fata, qui geniti & orti iisdem essent sideribus, suam ipse artem defendens, non eodem siderũ positu, sed diverso nasci gemellos propter celerrimum cœlestium orbium motus, ostendit. Figuli autem rotam magnæ

gna vi concitavit, & in eadem duas atramenti guttas liquavit, quæ desinente motu longo intervallo in extremitatibus sunt inventæ: quomodo igitur opinantur, inquit, cùm tam celeri vertigine cœlum circumducatur, posse gigni & oriri geminos eodem sidere, figuli rotâ parvo incitata cursu excussas guttas eodem momẽto tam diversis locis ostendente. Et præter hanc Publii demonstrationem ipsa quoque experientia testatur, geminos non tam subitò nasci unum post alterum, quin intercedat aliquod spacium: Ergò nunquam ferè simul. Hæc Nigidius. Et geminos etiam nunquam ferè nasci simul naturales quoque causa suadet, quia natura tam vehementes motus & dolores tam subitò ac uno momento sustinere non potest, sed paululum se recreando motum redintegrat: quid? quòd uno coitu rarò gemini concipiantur, nam hi soli, qui uno coitu concipiuntur, uno quoq; enixu eduntur. Unde non perperam Avicenna inquit: Matrix primò deglutit unum semen pro formatione unius: postea alterum pro formatione alterius cum mora & quiete. Quòd autem gemelli interdum habeant ferè fortunam, conditionem, dignitatem & longitudinem vitę eandem & æqualem, ratio est, quòd ferè ambo uno momento sunt nati, vel eandem in conceptione & nativitate astrorum habuerunt constitutionem. Et licet rarò nascantur gemini uno puncto, fieri nihilominus potest, ut diversis in locis duo infantes eodem temporis puncto in lucem edantur, sed sub diverso stellarum positu ob aliam cœli faciem, poliq; elevationem: unde nec iisdem prædi ti sunt moribus, nec eandem fortunam experiuntur. Quod si verò uno eodemq; loco nascuntur infantes, considerandæ est materiæ conditio cum re subjecta, quæ juxta suam dispositionem ac habilitatem magis ac minus recipit cœlestem afflatum ac impressionem: nam secundum subje-

ctorum varietatem effectus variantur, virtutesq; astrorum operantinm mutantur propter recipientium diversitatem.

NB. Sed inprimis memorabile & dignum hoc loco est in multis à me summo studio observatum, quòd nativitatis nostræ sidera convenientia congruentes etiam inter se animos producunt, ita quidem, ut sub uno horoscopo seu ascendente in lucem & vitam venientes, tacito & occulto sympathismo, nutu etiam oculorum, & intuitu tantum, animorum congruentiam significent, contra verò sub diversis, vel rectiùs oppositis horoscopis nati, animorum antipathismum verè experiantur. Atq; hinc fit, ut sæpè alter alterum ad primum conspectum, & sine ulla præcedente offensione, ita aversetur, ut in eodem etiam conclavi vel mensa ferre vix possit. Sed redeamus ad prædictionum exempla memoratu digna, quæ prisco & nostro etiam seculo observata, & memoriæ prodita sunt.

Julio Cæsari vaticinatus est Spurina, eumque monuit, ut periculum caveret, quod circa Idus Martias eventurum esset. Cæsare eum, adventantibus Idibus Martiis deridente, ipsæ, inquit, venerunt quidem, sed nondum præterierunt. Cæsar enim eo ipso die multis vulneribus in Senatu confectus periit. Et quamvis Spurinam augurem fuisse constat, tamen Cæsari fatalis hic exitus à pluribus aliis est prædictus, inter quos Astrologos fuisse dubium non est. Unde etiam Manilius de Cæsare inversibus suis canit:

Ille etenim cælo genitus, cælóq; receptus,
Cum benè compositis victor civilibus armis,
Iura togæ regeret, toties prædicta cavere
Vulnera non potuit, toto spectante Senatu
Iudicium dextra retinens, nomenq; cruore
Delevit proprio, possent ut vincere fata.

Magi ex ortu novæ stellæ Regem & Servatorem totius mundi natum

natum esse ex astrorum doctrina eruditissime judicarunt, eaq; de causa ex oriente Hierosolymam profecti ad verum Messiam beneficio Astrologiæ, Deo sic gubernante, pervenerunt, priusque ex astris, quàm Judęi ex scripturis Christum cognoverunt.

Thrasyllus Mathematicus Tiberium, ab Augusto vitrico, Rhodum relegatum, & non parum suæ saluti timentem, bono esse jussit animo, cùm circa mare deambularet, finemq; ærumnarũ instare denunciaret: Thrasyllus videns advenientem navem, fidenter eâ felicia afferri Tiberio affirmavit: & non multò post nave ad portum delata literas ab Augusto & Livia accepit, quibus Romam revocatus Imperii sui jecit fundamenta.

Idem Tiberius, cùm statuisset Rhodi Thrasyllum de muro præcipitare, eò quòd is solus ex Astrologiæ secretis omnes ejus cogitationes cognosceret, sensit hominem eo ipso tempore esse solito tristiorem: cujus rei causam cùm exploraret, respondit se periculi cujusdam suspicionem præsentire. Unde Tiberius admiratus hominem, qui institutum non ignoraret, intermisit.

Tacitus, Suetonius, Josephus & Dion autores probatissimi de Tiberio, Galba & Thrasyllo ea literis prodiderunt, quæ omissa hîc non oportuit. Non omiserim, inquit Tacitus, præsagium Tiberii de Servio Galba tum consule, quem accitum, & diversis sermonibus pertentatum, postremò Græcis verbis in hanc sententiam allocutus est: Et tu Galba quandoq; degustabis imperium, seram & brevem potentiam significans, scientiâ Chaldæorum artis, cujus adipiscendæ otium apud Rhodum Magistrum Thrasyllum habuit, peritiam ejus hoc modo expertus. Quoties de negotio consultaret, edita domus parte, ac liberti unius conscientia utebatur, is verò literarum ignarus, corpore valido, per avia & prærupta (nam saxis domus imminebat)

nebat) præibat ei, cujus artem Tiberius experiri statuisset, eundem regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subjectum mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasyllus iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat, imperium ipsi & futura solerter patefaciens, interrogatur, an suam quoq; natalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus siderum ac spacia dimensus, hærere primò, postea pavescere, & quantò introspiceret magis, tantò magis trepidus admiratione & metu obstupescens, postremò exclamat, ambiguum sibi & propè ultimum discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius, præscium periculorum & incolumem fore gratatur, quæque dixerat oraculi vice accipiens inter intimos amicorum tenet.

Apollonius Ægyptius, teste Dione, Cajo Caligulæ mortem prædixit, qui eam ob causam Romam missus, ad Cajum eo die perductus est, quo ille (Cajus) mortem erat obiturus, certissimo nimirum vitæ periculo, nisi Caligula paulò post interfectus exitu funesto prædictionis certitudinem comprobasset.

Scribit Josephus in omni Judæorum doctrina peritissimus, Judam Essæum, qui ferè nunquam divinando aberravit, Antigono, Johannis Judæorum ducis filio prædixisse locum & diem, in quo illi fato erat destinatū mori. Sed Antigono transeunte templum exclamavit: Papæ, nunc mihi pulcrum est mori, quando mearum prædictionum mendacium deprehensum est. Venit enim Antigonus, qui hodie deberet occidi. Locus autem ejus necis erat apud Stratonis πυργὸν, & ille quidem sexcentorum abhinc stadiorum intervallo distat, horæ verò diei sunt quatuor, ut ita vaticinationis tempus effluxerit. Hæc locutus senior mœsto vultu & mente sollicita multa secum reputa-

putabat: sed paulò post Antigonus interfectus est alio loco subterraneo, eodem nomine, quem prædixerat: & ita in situ loci tantùm aberravit.

Idem Josephus Astrologiam edoctus Vespasiano patri, & Tito filio, non solùm eos terrarum Dominos futuros, sed etiam se à captivitate liberaturos, constanter affirmavit, & ut tantò magis sibi fidem adhiberent, vinculis se custodiri, usq; dum prædicta evenirent, petiit. Cùm autem nonnulli ex Vespasiani intimis dicerent, illi nō adhibendam fidem, qui suam propriam captivitatem ignorasset, ipse verò affirmavit, se ante prædixisse. Quare de ea re Vespasianus inquirens, ita esse invenit. Ergo illi fidem habuit, sed tamen custodiæ, usque dum prædicta evenirent, tradi jussit. Postea verò, cùm Imperator factus est, libertati eum restituit. Hæc Josephus de seipso vivente & sciente Cæsare scripsit, cui mentiri fuisset capitale.

Ascletarion mortem sibi instare Domitiano confessus est, eventurumq;, ut à canibus brevi laceraretur. Hunc Domitianus sine mora cremari, ad coarguendam artis temeritatem, ac sepeliri accuratissimè mandavit, sed repentina tempestate diruto funere semiustum cadaver canes discerpserunt. Quo audito Domitianus valde perturbatus mortem timuit, quæ ilicò subsecuta præsagio fecit fidem. Dion.

Apollonius ad Nervam hæc scripsit: Nos, ô Rex, & quidem brevi simul erimus, ubi neque nos aliis, neq; alii nobis imperabunt. Sciebat enim sibi citò è vita esse migrandum, & Nervam perbreve tempus imperaturum. Et licet multi Apollonium Necromantiæ insimulent propter Philostrati falsam de illius vita relationem, tamē ex Hieronymo & Eusebio constat, illum Philosophum fuisse, natalesque dies, & circularis motus doctrinam observasse & calluisse.

Adrianus Imperator in juventute singulis annis Astrologicas

logicas prædictiones fecit, ita ut sibi omnium dierum usque ad horam mortis futuros actus ante præscripserit.

Severus Imperator in Africa à Mathematicis didicit quæ sibi essent eventura, antequam ad Imperium perveniret. Quare factus est Mathematicus insignis, & prima conjuge mortua noluit aliam quàm Juliam ducere, quòd sola ex multis oblata regiam genesin haberet.

Domitianus exploratis diebus & horis, in quibus Principes viri essent nati, plerosq; sustulit, qui regiam haberent genesin, ac inter eos etiam Melum Pompejanum. Idem quoque fecit Tiberius.

Scribit Dion, Severum sciviſſe, se ex Britannia non reversurum, quod maximè cognoverat ex stellis, sub quibus erat natus.

Alexandro Severo ad Germanicum bellum proficiscenti, Thrasybulus Mathematicus illi amicissimus prædixit, ipsum barbarico gladio interficiendum. Quod ita contigit. Nam antequam in conspectum hostium veniret, à Germanis militibus interfectus est, Lampridio teste.

De Zenone Imperatore hæc scripsit Glycas. Is cùm morte mulctasset Harmatium, qui fraudulentè se proditorem heri sui declaraverat, simulq; promisso satisfecerat, quòd ipsius filium Cæsarem renunciasset, & non multò post illum per vim Cyzicenorum Pontificē inaugurari mandasset, contigit, quod ei prædictum ab Astrologo fuerat, ut impetrato imperio paulò post moreretur, & conjugem suam unà cum imperio viro cuidam senatorii ordinis relinqueret. Hoc in memoriam sibi revocato, complures præsertim illustres Senatores neci dedit. Verùm inexpugnabilem divinæ providentiæ vim nemo mortalium unquam coarguere, ceu vanam & inefficacem poterit. Quippe cùm Zeno vitam cum morte commutasset, Imperiumq;

riumq; reliquisset Romanum, ad Anastasium id pervenit, qui cum Ariadne Imperatrice matrimonium contraxit.

Astrologus quidam nomine Nicolaus, Constantino Ducæ mortem prædixit, ante ejus interitum scribens: Nolite timere à Duca, nam temerè novis rebus studebit, statimq; peribit. Quod idem etiam Leo vaticinatus est: atq; hæ prædictiones fuerunt veræ, paulò enim post in urbe Constantinopolitana, tumultu excitato, equo prolapso præcipitatus periit.

Firmicus scribit, inter alias prædictiones, ex Solis Eclipsi, quæ medio diei tempore accidit, Optaritii & Paulini consulatu, Mathematicos ex sagaci intentione prædixisse, quid cunctis hominibus paulò post futurum esset. Idemq; recenset, Plotinum, cùm primò nihil potestati stellarum tribuisset, postea serpente morbo minutæ partes viscerum dilaberentur, solus superstes animus retinebatur, tandem cùm vim fati sentiret, & animadverteret, proprio exemplo, quòd finis sibi instaret, quem stellarum ignitarum indicia decreverant, cunctos homines docuit, vim potestatemq; fatorum ac stellarum nulla posse ratione contemni.

Petrus Justinianus in historia Veneta scribit: Planetarum & cœlestium corporum dispositiones sub Jovis aspectu felicia omnium rerum incrementa huic urbi denunciasse, his verbis: Attila defuncto Venetiarum populi, qui ejus metu in hæc stagna confugerant, campestribus locis assueti, consilia agitarunt remigrandi in continentem ad patrias sedes, quas ingenita natalis soli dulcedine adamabant: sed ex his plurimis ante oculos habentibus barbarorum immanitatem, incendia, fœdasque populationes, quibus antea Radagisus & Alaricus Gothorum Reges, & novissimè recentis memoriæ Attila Italiam affecêre; perpetuum his locis tutioris vitæ studio figere domicilium vitæ placuit: atque à divinis exorsi primi illi Veneti pietatis cul- *NB.*

tores, nascentem urbem templo ornarunt, quod D. Jacobo consecrantes medio Rivalti foro erexêre. Jacta autem felicibus auspiciis civitatis fundamenta, ac tanti Imperii incunabula fuêre, Pontificatu Papæ Innocentii I. imperanteq; Honorio cum Theodosio, Arcadii filio, anno 421. V I I I. Calendarum April. circa meridiei horam, in qua Planetarum dispositiones & cœlestium corporum figuræ sub Jovis aspectu felicia rerum omnium incrementa denunciabant, ut ex signis, quæ hîc ponuntur, patet cœlestibus: Nam à Septentrione dominabantur pisces, aries, taurus, à meridie virgo, libra, & Scorpius, ab occasu Leo, Cancer, & Gemini, ab ortu Aquarius, Capricornus, & Sagittarius.

Lucas Gauricus quoque computavit Venetorum urbis ædificationis figuram, aitq; eam ædificatam anno 421. 23. Mart. in meridie, ponitq; in oriente 25. gr. Cancri: Solem in medio cœli, & 4. gr. arietis: Lunam in 14. geminorum: Saturnum in 27. Virginis: Jovem cum Mercurio in 13. piscium: Martem in 14. libræ: cum capite verò draconis Venerem in 6. tauri: additque fore hanc civitatem felicissimam, (exceptis bellis, propter Martem in suo casu) quia habet Solem aphetam in suo throno seu exaltatione, & cœlorum culmine partiliter supputatum: dicitq; præterea, Senatores dominii sceptra administraturos usque ad annum Domini 1888. vel circiter. Hæc Gauricus. Subsecutura ætas observare poterit, an vera prædixerit. Differunt enim hi duo autores de Venetiarum ortu nō annis, sed diebus.

Heraclio Astrologi prædixerunt, magnum ipsi & Imperio imminere periculum à circumciso populo, & ut dicitur observabili præ aliis proverbio, stellarum influxus facilius prævideri possunt quàm præcaveri: ita hic cùm Judæos timeret, Sarraceni ab illo ob negata stipendia defecerunt, Arabiamque cum nonnullis locis in Ægypto occuparunt, Mahometis legem

gem & sectam invexerunt, qui deniq; finem Byzantino Imperio attulerunt, & nostro Imperio adhuc imminent.

Nothebaldus Astrologus Adelberto Archiepiscopo Bremensi, Friderici Palatini fratri, multa vera prędixerat, in eo tantùm deceptus, quòd calculo subducto pronunciaverat, ex morbo, quo periit, illum non moriturum. Adamus Bremensis Canonicus.

Æmilius de Joachimo Abbate vaticinandi peritiâ percelebri prodidit, Gallorum & Anglorum Reges contra Saladinum arma moventes, cupidos pernoscere exitum belli, ad se perduci curasse Joachimum, respondentem ituros illos quidem, sed parum profecturos, quòd nō diram beluam ipsorum fata appeterent, nec terræ Sanctæ recipiendæ dies illuxisset.

Johannes Comes Mirandulanus miserum flagellum Astrologorum, adversus Astrologiam edidit librum, quem Bellantius Senensis & alii elusum eliserunt: hi, ut artem veram ostenderent, illum annum ætatis 33. non transgressurum prædixerunt, ex directione ascendentis ad Martem, quemadmodum ex scriptis editis constat. Et quidem Bellantius l. 5. suarum responsionum contra Picum sic scribit: Nec unum tacendum videtur, complures enim sunt Florentiæ testes fide dignissimi, quibus inspecta Hieronymi Savanarolæ genitura, quinq; ante ejus jacturam menses dum florebat, vitam laqueo terminaturum prædixi. Is quanquam crematus, prius tamen fuit strangulatus. *NB.*

Bartholomæus Chassanæus audivit, ut ipse narrat, Mediolani, quòd eximius Astrologus dixisset Duci Mediolanensi, Galeatio Mariæ vicecomiti, ipsum ex vulnere periturum, quod esset ei proprius vasallus inflicturus. Astrologus interrogatus à Duce, quo mortis genere esset interiturus ipse, respondit, se in publico interemptum iri ex trabe ligni cadente: quo audito, *NB.*

Dux ira accensus ipsum mox decollari jussit, ut ex rei eventu cerneret Astrologicã artem esse falsam. Cùm interim pararetur locus, & campana solito more pulsaretur, populusq́; concurrisset, & ipse traditus executori ad locum supplicii deduceretur, inter exeundum, sub porta magna, quæ estante Ecclesiam cathedralem, cecidit turris, quę dictum Astrologum cum aliis interfecit: ipse verò Dux in festo S. Stephani, & in Ecclesia ipsi sancto dicata, Mediolani, universo astante populo, & ipsius aulicis, interfectus est à proprio vasallo, sicq́; fuit vera prædictio Chassanæi de proprio & Principis exitu ac morte.

Johannes de Lignano tempore Martini V. Papæ, prævidens ex genitura filium cruci affigendum, volensq́; fatali geneseos dispositioni succurrere, sacris eum initiari ac apprimè erudiri curavit. Sed ne sic quidem evitare vim fati potuit. Nam cùm eum concives sui ad Martinum Papam ablegassent, rediens domum propter legationem non fideliter tractatam, de nocte à Magistratu Bononiensi suspensus est: quem cùm eluceseente die pater pendentẽ vidisset, deplorans, inquit: Eheu, fili mi, tu infelicissimum fatum nec humanis literarum adminiculis, nec divinis mysteriis superare potuisti.

Joh. Dubravius Episcopus in historia Bohemica scribit, Nicolaum quendam ex eorum numero, qui divinandi scientiam ex decretis astrorum profitentur, Ladislao Regi Bohemię & Ungariæ, Alberti Imperatoris filio, cum insigni pompa equestrium pedestriumq́; copiarũ Pragam introeunti, nuptias ibidem cum Caroli Galliæ Regis filia celebraturo, pronunciasse infaustum ingressum, quod vaticinium apud paucos curam, apud reliquos risum, velut vanitate plenum excitavit, omnisq́; sollicitudo omnium ac maximè Regis intenta fuit in nuptiarum apparatum, verùm Rex paulò post morbo correptus, post sex & triginta horas, quam ægrotare cœpit, animam efflavit,

flavit, & sic Nicolai vaticinium mœrore tristi completum est.

Lucas Gauricus, Johanni Bentivolo, ejusq; filiis ac nepotibus exitium denunciavit, nisi se Pontifici submitterent, propterea quæ captus, & à Tyranno ex alta trochlea suspenso fune quinquies quassatus est, qui tamen ante à Chiromante, ut violenti cruciatus causas effugeret, erat admonitus. Sed postea Bentivolus unà cum suis à Pontifice est superatus & cæsus.

Friderici II. Imperatoris Astrologus interrogatus ab eo, cur tantum honoris Rudolpho Habspurgensi Comiti pauperi in aula sua tunc versanti, exhiberet, respondit, mortuis tuis filiis, quorum adhuc decem supersunt, ipse ejusq; posteri ad tua regna pervenient, teste Alberto Argentinensi, quod etiam exitus ipse probavit. Nam anno Christi 1273. Cal. Octobr. Rudolphus à Germanis Principibus Francofurti in Regem Romanum eligitur, cùm Basileam obsideret. Et hodierno adhuc die videmus Rudolphi posteros regnum Neapolitanum, ducatumq; Austriæ & Sueviæ, unà cum Imperio & regno Neapolitano obtinere. Imperator enim Rudolphus ab eo nomen & ditiones hæreditario jure accepit, & Philippus Hispaniæ Rex ex eodem natus regnum Siculum & Neapolitanum nactus est.

Scribit Cuspinianus, narrasse sibi Georgium Thursum virum spectatæ fidei, Regisque Ungariæ Camerarium, quòd Matthias Mechovita singularis tam in medendo quàm prognosticando eruditionis vir, Montium egressuro Regi Poloniæ Sigismundo, ut Cæsarem Maximilianum conveniret, qui Cracovia 5. Mart. discessit, prædixerit, ipsum neq; visurum Cæsarem, neque expediturum quippiam, nisi commodius tempus expectaret. Quod cùm miraretur Rex, ut erat animi inconcussi & firmi, constantissimè perseveravit in proposito: eundum, inquit, quò Deus & fortuna vocat, promissum ratum servabo, nemo me à proposito abalienabit: videbo Cæsarem, & fratrem NB.

conveniam: interim per quosdam Consiliarios mandat, ut diligenter à Matthia inquirāt, serióne an joco locutus fuerit. Idem asserit, Regem non visurum Cæsarem, nisi expectare velit Junium, & ante festum Joannis Baptistæ eum cum Cæsare omninò nō collocuturum. Nihilominus tamen exivit Rex, & cùm tam longa mora traheretur, sæpè illius prædictionis fuit memor. Hoc idem Mechovita Andreæ thesaurario perscripsit, quod & evenit, 16. enim Julii post longas tractationes & moras Imperator & Rex sese invicem primùm viderunt.

Andreas Medicus & Astrologus Flandrus prædixit mortem Carolo Ducis Burgundiæ, & Jacobo III. Regi Scotiæ, ipsum à propriis subditis interfectum iri, quod Buchananus l. 12. sic refert: Anno 1467. legati ad Carolum Burgundiæ ad sedandas mercatorum querelas missi, cùm in Flandriam appulissent, ibi comiter accepti. Ab iis aliquando forte fortuna invitatus, ut unâ cœnaret, Andreas quidam Medicinæ Professor, & qui magnam Astrologicarum prædictionum putabatur habere peritiam: is audita adventus ipsorum causâ, seductos occultè admonuit, non esse, cur magnoperè festinarent. Intra paucos enim dies certum de Duce nuncium affuturum. Nec prædictioni defuit eventus. Nam intra triduum est renunciatum, Ducem exercitu profligato ad Nancæum Lotharingiæ oppidum, ab Helvetiis fuisse interfectum. Ita illi rebus, ob quas profecti erant, infectis, reversi, cùm apud Regem Andreæ de rebus futuris præscientiam mirè laudassent, animum ejus in eas partes proclivem impulerunt, ut magnis pollicitationibus hominem ad se accerseret, ac non ita diu postea advenientem benevolè exciperet, & opulento sacerdotio, aliisq; muneribus donaret: hic Regi exitium imminere prædixit, quod eventus quoq; deinceps comprobavit.

Cominæus scribit, Episcopum Viennensem multò ante præ-

prædixisse, Ferdinandum nomine ultimum fore Regem Neopolitanum, cùm Alphonsus Rex cum Friderico filio 19. annorum juvene adhuc viveret, & Rex esset. Quare Ferdinandus promisit Cominæo quotannis, si Rex fieret, 200. coronatos.

Guido Bonatus Forolivienſis Astrologus sub Martino IV. Guidoni Montis Ferrati Comiti, diem prædixit, quo, si Forolivio egressus astu invaderet hostes, eos superaturus, victoriaque potiturus, sed vulnus accepturus esset. Atq; ut Guido Comes sermoni fidem haberet, ipse egredi urbe unà cum Comite, & interesse pugnæ voluit, stupasque, ova & alia, quibus vulneri nondum facto opem ferret, secum extulit, secutoq; pugnæ & victoriæ eventu, quem prædixerat, vulnus Comiti est illatum. Idem Guido civibus suis, qui adversus Pontificem gerebant bellum, horam pugnæ assignavit, in qua pugnantes victoriam essent reportaturi, nec eos fefellit. Volater. l. 21.

Petrus Leonius Spoletanus, Medicinæ & Astrologiæ peritissimus, cùm sibi subitæ mortis periculum in aqua portendi cognosceret, Patavio, Venetiisque in Umbriam & Spoletum migravit, ut frequentes navigationes effugeret. Mox ubi ad Laurentium Medicum esset vocatus, & ex astrorum scientia morbum salubrem prædixisset, omnemq; benè gerendæ rei occasionem prætermisisset, à Lazaro Placentino Medico illustri, (qui à Ludovico Sfortia Ticino missus, sera afferebat remedia) reprehensus, atque adeò omnibus invisus, post mortem Laurentii, incertum an desperatione actus, an illata vi à Petro, Laurentii filio, in proximæ Caregio villæ puteum præceps datus mergitur, in Principis Florentini morte prævidenda calculi fortè aut judicii errore deceptus, in suo ipsius fato cognoscendo vates nequaquam falsus.

Seraphinus Mantuanus monachus, Astronomię & Chiromantiæ peritissimus, Johanni Cardinali prædixit, futurum illum

illum Pontificem, cùm esset annorum 37. quod tamen ipse Johannes nequaquam sperabat aut credebat. Paulò autem post electus & Leo, X. est nominatus. Hic monachus Romam vocatus, cùm esset Leo in Pontificem electus, maluit in suo monasterio, quod reliquum esset vitæ transigere, quàm Romæ esse: Leo itaq; X. 400. coronatos annuatim monasterio decrevit, Gaurico teste.

Dethlevus Revenlovius nobilis Holsatus prædixit Friderico I. & Christiano III. gubernationem regni Danię & Norvegiæ, diversasq; victorias, cùm regna illa Christiernus II. gener Philippi Regis Hispaniarum adhuc teneret: quemadmodum & tempus horum filiorum, quo die essent nascituri, & cujus sexus essent futuri post conceptionem.

Idem Andreæ Barbato Episcopo Lubecensi dignitatem, genus mortis, annum & mensem denunciavit, qui obiit anno 1559. XII. Aug.

Idem quoque Revenlovius Carolo Imperatori belli exitum, quod gessit cum Protestantibus, Electore Saxoniæ, & Landgravio Hassiæ, prædixit, & profectus est ad eum Gengam versus, in quo itinere periit, aut propter honestū munus, quod à Carolo acceperat, interfectus, aut alioquin ab ignotis, ut fit in bellicis tumultibus, trucidatus. Ranzovius in sua Astrol.

Henricum II. Regem Gallię monuit Gauricus per literas, quinquennio antequam moreretur, ut finito 41. ætatis anno vitaret duellum, astra enim minari vulnus in capite, quod vel cœcitatem, vel mortem protinus afferret.

Franciscus Gonzaga, Marchio Mantuæ, à Malvetio Bononiensi captus est, quod multò ante expressè ei prædixerat Gauricus. Hic idem Paulo III. indicavit, ipsum certo anno Pleuritide laboraturum, aut in aquis periculum vitæ subiturum, quod

cùm

cùm accidiſſet, ob prædictionis veritatem remunerandam fecit eum Epiſcopum Civitatenſem, & equitem S. Pauli.

Junctinus teſtatur Julianum Riſtorium à Prato, edidiſſe Prognoſticon anno 1528. in quo multa verè prædixit, ut non ſolùm obſtupefecerit Florentinos & Romanos, ſed univerſam quoque Italiam, Gallorumq; & Hiſpanorum exercitum.

Junctinus prædixit Henrico Poloniæ Regi, Henrici Gallorum Regis filio, anno 1572. in tractatu de ſtellis fixis, cùm haberet Procyonem in horoſcopo, quæ ſtella regna & imperia decernit, illum ad majora rerum culmina perventurum, antequam Rex Franciæ eſſet factus, quod etiam contigit anno 1574.

Scribit in ſua hiſtoria Natalis Comes, quòd cladem Gallorum factam ad S. Quintinum, in qua Monpenſerius, Conneſtabilis, Mareſchalcus S. Andreæ, Reingrafius, Lanſaccius, & fermè bis mille nobiles capti & interfecti ſunt, multò ante prędixerit Michaël Noſtradamus, rerum Aſtronomicarum peritiſſimus, cum multis inde ſecutis calamitatibus. Et addit Natalis Comes verba ſequentia: Neque enim tam fallax exiſtimari debet, ut aſſolet, prædictio, quæ à peritiſſimis fit aſtrorum, cùm Deus optimus rerum omnium moderator non ita occultas eſſe aliquando imminentes calamitates voluerit, ut eas devitare non poſſimus, ſi expergiſcamur. Sed propter inſcitiam ferimur plerumq; tanquam prono alveo fluminis, neq; ſtudemus per ſapientiam viribus aſtrorum reſiſtere. Nam profectò facilius eſt ſapienti prævisum quàm ignoratum periculum devitare, cùm imprudentia contra, & inſcitia periculi devitandi ipſa propè ſit neceſſitas. *NB.* *NB.*

Sixtus ab Hemminga edidit quidem Aſtrologiæ refutationem, nihilominus tamen in genitura Johannis Auſtriaci fatetur, quod deduxerit 7. annis ante mortem Auſtriaci pro vitæ *NB.*

longitudine Lunam ad oppositum Saturni, & horoscopum ad corpus Saturni, & quòd pervenerit Lunæ directio ad Saturni oppositum annis 31. & mensibus 7. quo ipso tempore ætatis suæ, & anno, & mense, & die Austriacus fatis obtemperavit, peste scilicet anno 1578. 2. Oct. hor. 2. pomerid. extinctus. Et addit: Si in omnibus nativitatibus, vel etiam plerisq; hoc pacto convenirent eventus cum directionibus, solam se Astrologiam magnifacere velle, eamq; præ cæteris scientiis unicè amplecti, & tanquam divinam colere.

Matthæus Delius Danus constituens in Oenoponte Philippo Hisp. Regi figuram nativitatis anno 1551. Medico Cæsareo Caroli V. tempus nativitatis ipsi præscribente, judiciumq; ejus postulante, prædixit, ex Marte in secunda retrogrado & damnato à Luna, Lunâque vicissim ab illo, significari ei paternæ substantiæ diminutionem aliquam, Solemq; in domo cadente diminutionem potentiæ ejus, cùm visa esset maxima. Erexit etiam eodem loco & tempore Carolo, Philippi Regis filio thema, in cujus expositione scribit sequentia: Hæc figura inchoata est in ipsa cõjunctione luminarium incidentium in tam gravissima loca Eclipsium præcedentis anni, ita ut nõ debito tempore prodierit infans, & mirum quòd ipse unà cum matre non perierit, rarò enim veniunt ad senectutem, & si vivunt maximas experiuntur adversitates. Quidam carent visu, quidam auditu, alii loquela, ut hic natus, tamen processu temporis mutabitur, non erit tam longævus quàm pater, morietur in adolescentia, post directionem Saturni ad ascendens.

Michaël Eitzingerus refert, Philippum Melanchthonem, cùm Gulielmus Nassovius Auriaci pater filiorum genituras ei obtulisset, & de singulis judicium ejus exquirens, eam quæ est
NB. Auriaci considerasset, dixisse, multa quidem eum moliturum, ac magna, sed mortem fore violentam. Idemq; ipsi Cornelium

Gem-

Gemmam & alios prædixisse Eitzingerus refert. Est autem an. 1584. 30. Jul. tribus plumbeis globulis è parva bombarda à nobili Burgundo Balthasare Serac, aulæ suæ familiari, emissis, Delphis in Hollandia, vita privatus, ut ita Philippi, Cornelii Gemmæ & aliorum prædictioni eventus responderit. Natus est anno 1533. 13. April. circa hor. 14. aquario ascendente, qui à Marte cum altero luminari hostilibus radiis impugnabatur, unde facilis fuit de violento exitu prædictio.

Scribit Schleidanus, Carolum V. iisdem Calendis, quibus natus erat, Imperatorem creatum fuisse. Habuit autem in ortu Capricorni sidus, quo sidere etiam natus fuerat Augustus, qui propterea nummũ felici Capricorni sidere percussit, ad quod etiam Horatius alludit, cùm Hesperiæ tyrannũ Capricornum appellat: eodem sidere Carolum Borbonium, & Cosmum Medicen natum Cardanus scripsit, Selinum quoque Turcarum Principem, qui 7. Calend. Sept. eodem mense quo Augustus Marcum Antonium vicit, Regem Persarum Hismaëlem in Caldezanisis campis fregit. Biennio post iisdem Calendis Campsonem Soldanum de Imperio dejecit. Hi omnes habuerunt Capricornum in ortu, & singuli ad maxima imperia regna, ducatus, & opulentas hæreditates pervenerunt, multaq; & gravissima bella felici exitu gesserunt. Unde hujus artis consensus intelligi potest. Quo fundamento proculdubio nixus Basilicus Mathematicus, prædixit Cosmo Florentiæ Duci, cùm adhuc privatus esset, deque eo nihil cogitaretur, ingentis opulentiæ hæreditatem ei portendi, quòd in ipso genituræ horoscopo Capricorni felix astrum mirabili conspirantium siderum aspectu irradiatum esset. Autor Jovius.

Idem Alexandri cædem magna cum multorum admiratione indicavit, & tanta animi confidentia, ut certum quoque percussorem designaverit, qui esset ei intimus, habitu gracili,

ſuſpenſa taciturnitate, ferè cæteris inſociabilis. Quibus indiciis quaſi digito monſtrabatur Laurentius Medicus, qui nefario auſu ipſum contra omnia conſanguinitatis jura in cubiculo trucidavit. Idem Jovius.

Adducendus deniq; in hunc chorum eſt Galenus lib. 3. de diebus criticis, de reliquis prædictionibus: & Hermes Triſmegiſtus in Jatromathematico, hoc eſt, in ſua Medicinæ cum Matheſi conjunctione inquit: Illud denuò repetendum eſt, quod nos obſervantes veriſſimum eſſe experti ſumus, ab Ægyptiis Aſtronomis inventũ, Lunam non modò ægris, ſed etiam ſanis dies tandem quales futuri ſint, poſſe prænunciare. Si enim ad Planetas temperatos ſteterit, quos Salutares Latini nominant, fauſtos & bonos producere, ſi ad intemperatos, graves moleſtosq;. Fingamus homine quodam naſcente ſalutares Planetas in ariete, malignos in tauro eſſe. Is homo cùm Luna in ariete, cancro, libra, & Capricorno fuerit, pulcrè habebit. Cùm verò taurus ipſum, vel tetragonum aliquod, vel diametrum ſignum occupat, malè tunc & funeſtè vitam tranſiget: atq; jam morborum initia huic, cùm Luna in Tauro, Leone, Scorpione, & aquario fuerit, peſſima, ſine autẽ periculo & ſalubria ſunt, cùm Arietem, Cancrum, Libram, Capricornũ Luna percurrit. Hoc verum eſſe, non ſolùm Medici hujus ſeculi prorſus affirmant, ſed & quotidiana experientia teſtatur, ipſiq; ægroti ſenſibiliter percipiunt, quemadmodum etiam egò hoc verum eſſe ſenſi & expertus ſum. Nam cùm in juventute mea exaſthmate valde laboraverim (quo jam divina favente gratia liberatus ſum) ex conjunctione Lunæ cum Saturno aut Marte, & futuro ſigno aſcendente ab ipſis tempore nativitatis meæ læſo, certò mihi ipſi prædicere potui, qua die & hora eſſem laboraturus: quam etiam ob cauſam huic arti, & Medicinæ, majore ſtudio & labore deinceps incubui, ut ſic propriæ ſanitati, quæ omnibus triumphis

umphis & divitiis in tota vita præstantior est, morbi necessitate adductus, consulerem. Hæc Hermes.

Hactenus de variis & mirabilibus effectibus ac eventibus ex astrorum vario concursu, diversaque irradiatione in hominibus, quos Astrologi diligentiores observarunt: sequuntur nunc historiæ de Planetarum, inprimis superiorum conjunctionibus, oppositionibus, Eclipsibus ac Cometis, futurorum & calamitosorum sæpè eventuum prænunciis, ut sunt diversi generis morbi, bella, seditiones, frugum corruptio, &c. tales enim prædictiones, quæ sumuntur ex conjunctionibus & eclipsibus, esse signa vera divinæ jam imminentis vindictæ, monentia homines de futuris calamitatibus & mutationibus, omnium seculorum monimenta testantur, ut luculentè videre est ex annexo sub finem insigni tractatu Cypriani Leovitii, (excuso Laulingæ, anno 1564.) qui Prognostici Astrologici tractationem ultra 1600. annos in præteritum tempus recurrendo, (quod neminem hactenus fecisse constat) ex ipsius artis fundamentis extructam, nec cœco judicio, nec inani quadam curiositate absq; causis Physicis sumptã, sed ex omnium temporum perpetuò sibi consentiente artificum observatione erudita petitam, historiarumq; ingeniosa ac certa historiarum longi temporis collatione firmavit.

Nunc operę quoq; esset pretium, conjunctiones magnas superiorum Planetarum, eclipsiumq; numerum ab anno 1584. in annum usq; currentem 1617. & in sequentes etiam perquirere ac enumerare, verùm, quoniam ex Calendariis ab eo tempore in lucem editis, ut & ex tabulis motuum omnium Planetarum seu Ephemeridibus id facilè, ab intelligentibus præsertim, seriemq; annorum & mensium diligentius considerantibus, observari potest, plura etiam addere supersedebo.

Unum tamen omissum non oportuit, cùm Leovitius

Eclipsium quarundam luminarium observatio, & paucarum solarium.

nullam fecerit mentionem Eclipsium lunarium, sed tantùm & præcipuè solarium, non videbitur alienum planè ab instituto nostro, Lunarium etiam eclipsium, earundemq; effectuum expositionem quandam, relationemque historicam ex superiori seculo addere.

Sic paulò ante prælium Alexandri & Darii ad Arbelam, in quo prælio Darius periit, & Monarchia Persica ad Græcos translata est, eclipsis Lunæ visa est.

Pridie quàm Perseus cum Romanis prælio decertavit, Luna nocte defecit, quod ostentum cùm multi reformidarent, & à pugna abstinendum esse Regi dicerent, infausto consilio certamen, quod detrectare & effugere poterat, iniit temerè, in quo Imperium, opes, & libertatem simul amisit. Plutarch.

Eclipsis quoque Lunæ præcessit bellum sacrum, quod cum Phocensibus gestum est, & duravit 10. annos. Diodorus, Pausanias.

Sic Lunæ Eclipsis fuit eo anno, cùm secundum bellum Chartaginense seu Punicum incepit. Polybius.

Ab urbe condita 584. 3. Sept. fuit Eclipsis Lunæ, & altera 22. die ejusdem mensis, cùm Æmilius Paulus Regem Macedonum Perseum vicit & cepit. Livius, Florus.

Eclipsis item Lunæ præcessit obitum Herodis Magni.

Luna in aquario cruentata est circa mortem Domitiani, ut ipse prædixerat pridie quàm periret, aliquod factum futurum, de quo loquerentur homines per terrarum orbem.

Paulò ante Alarici adventum in Italiam insignes Solis & Lunæ defectiones inciderunt, & stella crinita fuit conspecta. Sigon. de Imper. Occid. c. 10.

Eclipsis Solis.

Anno 394. Theodosius Eugenium vicit, & Theodoritus ac Zozimus biduò rem confectam scribunt hoc modo: Cùm defectio Solis incidisset tanta, ut noctis tenebras adæquaret,

Gothi

Gothi prope omnes (decem autem millia fuisse feruntur) unà cum Barurio Duce desiderati sunt, noxque prælium diremit. Sigonius.

Anno 345. sub Constantino in Italia res admirandæ, & portentorum similes evenêre, siquidem, ut notat Cedrenus, terra adeò vehementi motu concussa est, ut 12. oppida in Campania procubuerint: Sol autem tanta obscuritate infectus est, ut stellæ interdiu perinde ac noctu micuerint. Sigon.

Eclipsis totius Lunæ præcessit captivitatem urbis Imperatricis Constantinopolitanæ, quæ facta est ab Andronico jun.

Mortem Cæsaris Andronici senioris duæ Eclipses præcesserunt: prima fuit Solis per tot dies, quot annos ille vixerat. Hanc secutus est defectus Lunæ 12. Febr. quo die circa noctem obiit. Nicet.

Scythæ Istro trajecto Romanorum Thraciam usque ad Hellespontum incursarunt, quam cladem Solis & Lunæ defectus intra dies 16. consecuti, portenderunt: contigitq; lunaris in prima, solaris in 15. piscium. Nicet.

Anno 680. Luna splendorem suum mirabili obscuritate fœdavit. Julio autem, Augusto & Septembri Romæ tetra adeò pestilentia est oborta, ut frequentatis funeribus Libitina nõ sufficeret, reliquam inde Italiam adorta, inprimis Papiæ urbem ad vastitatem redegit. Sigon.

Anno 807. Luna ter obscurata, & semel Sol: & cùm prima eclipsis Lunæ visa est, apparuerunt in aëre eadem nocte acies miræ magnitudinis: triennio post eclipses etiam 4. visæ: paulò post secuta mors Caroli Magni, cujus occasione multæ confusiones in Europa exortæ. Eginbertus.

Paulò ante memorabilem stragem Caroli Magni in montibus Pyrenæis, Sol adeò obscuratus dicitur, ut stella Mercurii prope illius centrum velut candidior macula spectaretur.

Anno

Anno 1327. 1. Decembris die fuit eclipsis Lunæ: paulo q; post mortuus est Ottomannus, ex quo Turcarum Imperatores descendunt.

Anno 1356. in principio Martii fuit eclipsis Solis, nec non anno eodem eclipsis Lunæ: quas secuta est pestilentia: & Eduardus Anglię Rex fudit Francos, cepit Regem cum filio Philippo, & abduxit secum in Angliam.

Anno 1544. tres fuerunt eclipses lunares, & una solaris, quas secutæ sunt res non visæ à Caroli Magni tempore, ingens bellum inter Cęsarianos & Gallos, inter Anglos & Scotos, cum magna agrorū vastatione & clade hominum, religionisq; causâ persecutio magna. Schleidanus l. 15. Fuit quoq; eo ipso anno conjunctio Saturni & Jovis. Sic anno 1556. in Novembri utriusque luminaris fuit eclipsis, quarum effectus & operatio in sequentem 57. annum se extendit, & 5. Martii die visus est Cometa in Germania, quem Constantinopolitani viderunt 12. dies flagrare. Paulus IV. Pontifex movit bella in regno Neapolitano contra Philippum Regem Hispan. 26. Februarii moritur elector Palatinus Fridericus, filius Philippi: Turca facit eruptionem in Stiriam, & multa oppida devastat, Sigethumq; obsidet. Anno 1557. Albertus jun. Marchio Brandeburgensis, Casimiri filius, moritur 8. Jan. Et eodem anno Regis Philippi Hisp. exercitus vicit Gallos apud S. Quintinum, & præcipui ex nobilitate capti, multiq; interfecti.

Anno 1558. eclipsis Lunæ 2. Apr. sicut & anno 1559. eclipsis Lunæ 17. Sept. visa est, quibus annis sequentia contigerunt: In principio Januarii Rex Galliarum cepit urbem Calethum: Christophorus Dux Braunsuicensis, Archiepiscopus Bremensis obiit. Item Leonora, Caroli V. & Ferdinandi soror, Emanuelis Portugalliæ primò, postea Francisci Galliæ Regis uxor: Archiepiscopus Colonienſis Antonius de Schauenburg 21. Septemb.

ptemb. Carolus V. in Hisp. in S. Justi cœnobio, quem Maria soror ejus, Ludovici Regis Ungarię uxor ferè post mensem secuta est. Georgius Comes Wirtembergensis 21. Dec. Maria Regina Anglię, Philippi Regis Hisp. uxor extincta est 16. Calend. Novembr. Reginaldus Polus Cardinalis doctus, natus ex Margaretha, Eduardi IV. Anglorum Regis nepte, hoc etiam anno è vivis excessit. Anno verò 1559. 1. Jan. Christianus III. Daniæ Rex moritur, quem secutus est Christiernus II. quondam Rex Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ, affinis Caroli V. captivus: & Ottho Henricus Comes Palatinus Elector 12. Febr. Lucas Gauricus Episcopus 6. Mart. Johannes Gropperus Cardinalis 14. Mart. Episcopus Herbipolensis Melchior Zobel 15. April. trucidatur bombarda. Franciscus Ottho Dux Luneburgensis 29. April. obiit. Henricus Rex Galliarum in hastiludio circa oculum per Galeam læsus, obiit diem suum 10. Aug. Paulus IV. Pontifex 18. Aug. Hercules Ferrariensis Dux 3. Octob. Dithmarsia à Friderico II. Rege Daniæ, Ducibusque Holsatię est subacta, antehac libera & invicta gens. Moscovita quoque incredibilem exercuit tyrannidem in Livonia. Episcopus Labacensis Donnaverda fregit collum. Regina Scotiæ periit. Bajazetes & Selimus, Solimanni filii dimicant inter se.

Anno 1560. fuit eclipsis Lunæ 12. Mart. Solis verò 21. Aug. quo tempore & anno mortui sunt Philippus Dux Pomeraniæ. Johannes Fridericus, Johannis Friderici Electoris nepos. Gustavus Rex Sueciæ 29. Sept. & 5. Decemb. Franciscus II. Galliarum Rex.

Sed quid memorem singulis ferè sequentibus annis eclipses visas, quas tyrannica facinora, cruenta bella, injustę & contra datam fidem cædes, rapinæ, proscriptiones, interfectiones insontium, trucidationes bonorum, morborumq; varia genera sunt subsecuta, quæ conticenda potius sunt quàm recensen-

da, ne consolidata ferè vulnera refricentur, præteritarumq; ærumnarum memoria renovetur. Taceo nunc horrendam illam admodumq; calamitosam Lunæ eclipsin factam hoc anno 1617. 6. Aug. hor. 8. pomeridiana, ut ita universalis experientia testetur, omnium prædictionum Astrologicarum certissimas & verissimas esse eas, quæ sumuntur à loco, quantitate, & tempore eclipsium Solis & Lunæ, quas artifices, astrorumque cultores & observatores longè ultra hominum memoriam ante Christum natum, & pòst etiam prædixêre, effectusque earum exposuere, & jam adhuc eas futuras scriptis suis Ephemeridibus Astrologi indicant. Qui igitur siderum motus numeris persequuntur, ea prædicunt, quæ naturæ necessitas perfectura est, videntq; ex constantissimo motu Lunæ, quando illa è regione Solis posita incurrit in umbram terræ, quæ est meta noctis, ut eam obscurari necesse sit. Cumq; hæ Eclipsium prædictiones ex certis & veris demonstrationibus constent, (nam infallibiliter, quot eclipses præterlapsæ fuerint, subductis numeris colligi, & quæ adhuc futuræ sint, prævideri & prædici in multa secula potest) & experientia universalis testetur, eclipses, regionibus damna, nec non hominibus incommoda plurima, Principibusq; mortem plerunq; præsignificare, id quod etiam hactenus enumerata exempla confirmant, sequitur certè, Astrologorum divinationes vanas non esse, cœlestesque significationes, quas Deus singulari consilio in cœlo spectandas, certis temporibus in conspectum producit, prorsus irritas non esse, proindeq; extremi stuporis, hominisq; plus quàm Epicurei, cyclopicoq; furore prorsus dementati, & præ insania immensa nihil amplius sentientis, divina illa decreta & significationes, exibilare. Ac persuadere cœli fatiq; potestatem quoq; videntur multa, quæ quasi supra vires mortalitatis fieri videmus, multa præter rationem, ordinem & institutum conditionis

Inter omnes prædictiones Astrologicas certissimæ sunt quæ ab Eclipsibus desumuntur.

Contra primum hominum genus concluditur.

nis humanæ. Hic ad Philosophiam, ille ad Poëticam aptus natus est: hic arma tractat felicius, alius aliter: hic sanus, ille morbosus: hic audax, ille meticulosus: ille placido, ille turbido ac minaci ingenio est: sunt in exemplis, qui ab aratro ad purpuram & regnum vocati, & ignobilis miles Imperator factus. Ita multi, dum se planè dejectos credidêre, in sublime rapti sunt, multos exilia claros fecêre, & optata consecutis sæpè exitio fuerunt & opprobrio. Quæ certè astrorum potestati quodammodo asscribenda sunt, divino scilicet nutu sæpè delusâ hominum prudentia res administrante, cœlestiumq; dispensatione hæc inferiora regente. Alexander tam citò vicit Otientem, quàm vidit. Marius septies Consul, totiesque exul, & ex exule rursus Consul factus est. Julius Cæsar subitò Romanum Imperium subegit. Pompejum Rempubl. Romanam defendentem fortuna deseruit. Cato sapiens seipsum interfecit. Augustus, Antonius & Lepidus, ut soli in Republ. dominarentur, cæteros excellentes viros, inter quos etiam amici & propinqui fuerunt, unus in alterius gratiam per proscriptionem propositis præmiis interfici curarunt. Et rectè Firmicus ait: Fortis ab ignavo superatur (ein Bernheuter ersticht offt einen dapffern Mann) bonum prosternit inferior, justo justitia non prodest, castos providentia sæpè decepit, pudicis ac sobriis impudicus & dissolutus in honoris petitione prælatus est, jacent strenui, vincunt timidi, laudantur improbi, probi deridentur, & quicquid huic profuit, illud alium incauta imitatione decepit, astris sic dispensantibus. Atque hinc fit, ut quidam insatiabili Veneris desiderio pruriant, non quidem ex parentum solùm instillatione, sed peculiari astrorum positu & influxu. NB.

Et ex astris miram quandoq; fortunæ varietatem pendere exempla nostri seculi attestantur. Christiernus II. Rex Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ tribus avitis regnis ejectus est, & in-

captivitate detentus per annos ferè 27. cùm uxorem haberet Caroli V. sororem, & unicam sororẽ suam Joachimo Electori Brandeburgensi elocasset, cæteriq́; ferè Principes Germaniæ ei sanguine essent juncti, ac quoque duas filias progenuisset, quarum una Duci Mediolanensi, ac postea Lotharingico, altera Electori Friderico Palatino nupsit, tamẽ eum propria potentia, familiæ dignitas, affinium & amicorum splendor & majestas defendere, & captivum liberare non potuerunt. Ericus quoq; Suetiæ Rex fratrem Johannem Ducem Finlandiæ captum in carcerem conjecit, qui elapsis paucis annis, fratre rursus carceribus incluso regnum est adeptus, ita, ut qui modò Rex, postea captivus, & qui paulò ante captivus fuerat, mox regno vicissim potitus sit: atq; sic omnia regna fatali cuidam potestati & varietati sunt subjecta.

Concluditur igitur firmiter, Deum singulares vires & potestates stellis indidisse, & has tanquam milites sui exercitus sæpissimè vagari permittere: dico indidisse, non tantùm in amplum aërem eas exerendo, verùm etiam in corpora & humores hominum singulorum (magis tamen in hunc quàm illum) quos pro sua quæq́; natura & viribus afficit & disponit. Unde astra sunt signa, & velut typographi, quorum characteribus primùm animus noster est informatus, appellanturq́; à Patribus, vates, præcones, exercitus cœlestes, legati mandata Dei exequentes & angelorum. Et horum ministerio utitur Deus ferè semper, ut mediis & causis secundis, (quanq́; multa agit illis planè non adhibitis) & sic utendo conservat illorum efficaciam & virtutes, quas illis ab initio creando infudit, & sinit eas tales exercere, proad illi libuerit. Divus Ambrosius ἀκροτελευτίῳ huic meo Astrologico imponet coronidem, dicens: Elementa compati, cùm luminaria patiuntur: nam horum tristi deformiq́; aspectu omni tempore hominum animi conterriti expaverunt,

verunt, trepidaruntq;, occulto scilicet sensu naturæ præsagiente secutura damna. Hæc Ambrosius. Eat nunc stolida turba, ac astrorum potestates derideat, secureque & superbè has cœlestes significationes, magno cum suo detrimento ac periculo abjiciat atq; contemnat. Deus se derideri non patietur. Phryx non emendatur nisi plagis, frustrà verò Neptunum invocat, qui secundò patitur naufragium.

Prudentiores facilè haud dubiè se admoneri hinc divinitus animadvertent, ut discant matura pœnitentia, & vera pietate ad Deum confugere, & antevertere iram Dei horrendam adversus peccata nostra, pœnarumque futurarum præcavere gravitatem.

BREVIS ET SOLIDA CONFUTATIO præcipuorum argumentorum, quibus pars adversa divinationem omnem ex astris rejicit, atq; eludit.

FInem ἀνεσίῳ meo imponere hîc meritò possem, cùm ferè omnia, quæ in contrarium afferri à Sciolis solent, partim sint adeò elumbia & straminea, ut vix sint digna, quæ in hominum veniant memoriam, partim etiam ex supra, & quidem ubi triplex hominum genus circa divinationes Astrologicas vivis coloribus est depictum, in medium allatis argumentis tam artificialibus, quàm inartificialibus, facilè confutari possunt. Quædam enim sunt ejusmodi, ut laborioso responso opus non sit: quædam inania sunt commenta, nec firmamenti veriq; præsidii habent quicquam, & satis est, si simpliciter eludantur: alia sunt ita comparata, ut stolidum & supervacaneum sit in illis diu immorari. Non igitur ægrè feres, amice lector,

nec me contra officium deliquisse objicies, si inertiæ, vituperiorum, & ignavorum περιεργιάτων, quibus intra modestiæ cancellos manentibus opus non est, me profitear hostem implacabilem. Memor enim Patrocinii, quod veritati Astrologicæ ex officio debeo, quid me deceret, perpendi, præsertim cùm intelligerem ad omnium artium Studiosos non parum inde utilitatis perventurum. Sed procedat argumentum primum.

Quicquid expresso Dei verbo est prohibitum, id est illicitum. Divinatio Astrologica expressa Dei verbo est prohibita. Ergo est illicita. Probatur minor ex vers. 10. & 11. Deuter. cap. 18. Cùm veneris in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave imiteris abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, observetq; somnia, sortilegia, atq; auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, divinos, & quærat ex mortuis veritatem, omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter hujusmodi scelera delebit eos, &c. Hoc Achillæum est adversariorum, cujus assumtio est falsissima: primò enim distinguendum est inter divinationes seu prædictiones vanas, superstitiosas, illicitasque, quæ noxiis fallaciis homines deludunt, dæmonumq; fraudibus ac maleficiis intricatæ sunt, quas nemo nisi facto cum dæmone pacto exercere potest, ut Cyprianus l. de duplici martyrio, & August. lib. 2. de doctrina Christ. c. 23. testantur: Et prædictiones, quæ procedunt & sumuntur ex causis, & signis naturalibus, nec nõ inviolabili motuum cœlestium lege & observatione, & propterea veritate non carentes.

Primum divinationum genus meritò & rectè infame, & Deo est abominabile, ordiniq; & divinis oraculis contrarium, propterea quòd Pythonem Delphicum λοξὰ responsa & ambigua oracula dantem, & Pythonem Chaldaicum habet autorem.

rem. Maximè autem viguit hoc divinationū genus apud Chaldæos & Ægyptios, qui vanis commentis artem & cœlum repleverunt, omnium hominum fata, omniumque, quæ eveniebant, causas ex cœlo, horis Planetarum, astrorumq; positu, tanquam inevitabili quadam necessitate deducentes. Hæc est illa Astrologia, quæ corrupto nomine est Genethliaca dicta, à S. S. Patribus, Theologis, Medicis, Philosophisq; rectè damnata, de qua intelligendi sunt omnes S. S. textus, Levit. 19. & 20. Deut. 18. Esa. 47. Jerem. 10. & plures alii: cùm nihil sit aliud, quàm illicitę & pernitiosę Magię species, &c. de qua æquus lector plura legat in responso meo Antijesuitico, edito Francofurti nundinis vernalibus hujus anni. Ergo crassa insciția est, hanc à vera & Christiana non discriminare, nec animadvertere, textum ex Deuter. allatum de naturali & erudita Astrologia intelligi non posse, cùm expressis verbis fiat mentio auguriorum, sortilegiorum, hariolorum, maleficorum, incantatorum, atque eorum qui ex mortuis quærunt veritatem, necromantici dicti & necyomantici, quibus cum Christianus Astrologus nihil habet commune, imò tantum dissident, quantum ipsa Magia dæmoniaca à vera & naturali. Tantum de primo.

2. Quæ soli Deo competunt, ea nullo sibi arrogare jure homines possunt.

Futurorum contingentium scientia soli Deo competit: Ergò nullo jure sibi eam homines arrogare possunt: minor probatur, quia Deus futurorum contingentium scientiâ ab omnibus rebus creatis distinguitur, ergo etiam futurorū scientia ei soli competit. & ad assumptionem, distinguendo inter futurorum scientiam distinctam & perfectam, & futurorū scientiam indistinctam & imperfectam. Deus omnium futurorum præscius eorundem scientiam habet ab æterno, & perfectissimam, homo verò futurorum scientiam adeptus est obscuriusculam

sculam & indistinctam, hoc est, conjectare potest ex signis quibusdam id, quod futurum est, προγνωστικὸν. Quanquam enim, inquit Michaël Glycas, homo in paradiso peccavit, & concessum sibi vaticinandi munus amisit, non tamen misericors ille Deus prorsus eum similẽ voluit brutis evadere: unde signa ei quædam suppeditavit, de quibus interdum futura prospiciat, eoq; pacto securitati suæ consulat. Nec, inquit Richardus Dinothus Normannus de Astrologia, inquisitio astrorum, secretarumque virium ac influxionum eorum, Dei providentiæ derogat, imò ipsius Dei majestas magis illustratur, cùm tam magnas res eum per creaturas suas efficere intelligimus. Rectè quoque Sixtus ab Hemminga nobilis Frisius in Epist. ad Henr. Ranzovium scribit: Cœlum expansum, & infinitis luminibus exornatum, repręsentat nobis imaginem æternitatis, sed cujus literas, lectionem & intelligentiã perfectè non tenemus. Non igitur valet consequens, Deus perfectissimam habet omnium futurorum scientiam, ergo homo planè nullam: sic enim Astronomorum de eclipsibus prædictiones quæ certæ sunt, & Medicorum etiam præsagia in morbis acutis, quæ rarò fallunt, vana essent & irrita. Unde Hippocrates l. de aëre, aqua & locis jubet astrorum ortus & occasus observare, ut Medicus futurum anni statum possit præcognoscere. Futurorũ igitur scientiâ homines defraudandi omninò non sunt, quamvis pauci ea sint imbuti, nec omnes pari felicitate & industria, quoniam cœlum, tanquam liber apertus, in quo futura per stellarum & luminarium transcursus significantur, iis tantùm recluditur, qui astra divinæ virtutis instrumenta quædam, & divinæ providentiæ documenta esse statuunt, Deoq; velut primariæ causæ astrorum effectiones asscribunt. Impium enim est asseverare, Deum non posse in hæc inferiora agere, nisi mediantibus corporibus cœlestibus. Quicquid enim in hoc mundo per astrorum

strorum dispositiones efficitur, omnia in Deum effectus cœlestes dirigentem rectè referuntur. Atque hoc ipso etiam refellitur argumentum, quod sequitur ordine tertium.

3. Si Deus non potest operari, nisi adhibitis mediis, id est, cœlo & stellis, ut volunt Astrologi, erit imperfectus. Sed verum primum, ergo & posterius. & primò saniores Astrologi, totum syllogismū laborare morbo falsi & fallacis consequentiæ: propositionis enim antecedens ex Chalcidico Platonico, & Epicuri deliramentis desumptum falsissimè sanis Astrologis tanquam pronunciatum tribuitur.

Deinde non sequitur: Si Deus indigeret mediis in operando, esset imperfectus, id enim non oriretur ex divinæ virtutis defectu, sed ipsius effectus inferioris imbecillitate, qui ex sua imperfectione ita perfici non potuit: unde Plato in Timæo inquit: Non licet purum ab impuro tangi: quemadmodū enim oculus imbecillis meridianam lucem intueri nequit, devexo tamen lumine Solem inspicit, ita effectus inferior à Deo immediatè non producitur, qui splendorem inhabitat inaccessum, cujusq; oculi penetrantiores sunt lucidioresque ipso Sole, sed medio instrumento cœlorum: Summus enim conditor suaviter cuncta, eleganter & sapienter composuit atq; distribuit: ita quidem ut cœlum, Olympiciq; habitaculi cives in operando à Deo tanquam causa prima dependeant.

Huic succedit 4. Si astra agunt seu vires suas exercent in humores corporis humani, quod unanimi consensu profitentur & concedunt omnes, utique etiam agent in voluntatem ipsam, & sic voluntas hominis libera subjiceretur dominio stellarum, quod absurdissimum. Nobilius enim ignobiliori subjectum esse nequit, sicut nec agens passivo excellentius, & materiale immateriali præstantius censeri debet. Hoc argumento omnem de prædictionibus Astrologicis scientiam convelli ac

labefactari firmiter arbitrantur. Itaque tantò solidius est eis respondendum, quantò confidentius id sibi persuadent.

Principales syllogismi sunt: 1. Immateriale materiali est præstantius: at voluntas est spiritualis, cœlum materiale, ergo cœlesti illa corpore nobilior est, quare etiam ei non subjicitur.

2. Voluntas humana est libera, Arist. lib. Ethic. & alibi, cœlestibus igitur corporibus non subjicitur. Consecutionem probant, quia ex Aristotelis sententia cœlum ex necessitate agit, quare necessariò movebit voluntatem, unde coacta manebit, non libera.

R. ad 1. Voluntas, quâ voluntas est, corporibus cœlestibus non subjicitur propter rationem allatam: quâ tamen humana est, & sine corpore operari nequit, saltem ut ei conjuncta est, corporibus cœlestibus dicitur obnoxia, quia hoc modo materialis nuncupatur, ratione scilicet subjecti, quod materiale est. Cùm enim homo duabus constet partibus, corpore & anima, corpus instrumenti locum obtinet, quo mediante anima agit & operatur: unde si corpus fuerit benè affectum & dispositum, anima quoque benè operatur: si verò corpus malè dispositum fuerit, anima quoque ipsa secundum actionem integra non erit. Sic cœlum & astra dicuntur agere in inferiora hæc corpora, & in corpus etiam hominis, non verò in animã, cumque illud variis modis transmutet, afficiat, alteret & disponat, anima etiam ipsa diversimodè agere cogitur, non quidem per se, sed propter corpus. Unde si corpus corruptum fuerit & inquinatum, ipsa quoque voluntas hominis corrupta deprehenditur, non tamen ut necesse sit voluntatem sequi naturam corruptam, quamvis ad malè agendum sit proclivis, sicut contra in corpore benè dispositio anima seu facultas intelligens, & cùm ipsa voluntas & malum cogitare & operari possunt. Licet igitur anima à corpore quodammodo afficiatur, habet tamen

hanc

hanc in se facultatem, ut possit dictam naturã corrigere, quamvis id fiat majori cum difficultate. Rectissimè enim Ptolomæus: Sapiens anima dominatur astris.

Ad 2. Hinc facilis responsio eruitur ad syllogismum secundum. Cogeretur voluntas, si corporibus cœlestibus esset subjecta: negatur enim hîc consequens: subdita enim illis est quâ materialis, quia sine re corporali non valet operari, non ut immaterialis, quia supra materialia est in eligendo: cumq; voluntas formaliter consistat in electione, & in hac sit immaterialis, rectè infertur voluntatem corpori cœlesti non subjici, & per consequens ejus libertati non derogari, si mediante cœlesti corpore movetur. Inclinare igitur astra voluntatem duntaxat, non cogere dici possunt, teste Ptolom. l. 1. de astrorum judiciis, c. 4. Non autem existimandum est, inquit, omnia à supernis causis in res humanas rectâ derivari, tanquam inviolabili & divino quodam edicto proposito singillatim, ut nulla alia vis obsistere, quin ita illa grassentur, valeat. Nam ipse quidem cœlestium corporum motus sempiternus est, & procedit divino & invariabili ordine & lege: Inferiora autẽ mutationibus subjiciuntur de superioribus quidem & primis causis, sed accidit hoc illis per consequentiam legis & ordinis naturalis variabilis: & paulò post probat Astrologiæ nobilitatem, quia prævisa tela, quò minus ad nos perveniant, declinare possumus. Sic Medici de ulceribus vel ut serpant, vel ut putrescant, futurum pronunciant: imò plures sunt in morbis Medicorum constantes prædictiones ex motuum cœlestium observatione.

Sed instant Stoici rigidiores, vel potius Stoico Astronomi: totum esse & operari inferiorum corporum dependet à superioribus tanquã causis primis & essentialibus: ergo falsum, quod inclinent tantùm & disponant: Conseq. probatur, nam disponentia & inclinantia videntur esse causæ accidentales &

posteriores. R. Corpora cœlestia non solùm ea, quæ eis directè subjiciuntur, qualia sunt materialia, inclinare & disponere, sed etiam procreare causarum instar essentialium. Verùm cùm actiones nostræ eis directè non subjiciantur, dependent enim à voluntate, quæ immaterialis est, ipsa quoq; obnoxia astris non est, unde non possunt actiones nostræ à cœlestibus corporibus cogi urgerive, sed inclinari tantùm atq; disponi.

Hanc autem inclinationem dispositionemq; ab astris accipit nostra voluntas, quatenus præsupponit intellectum, cujus cognitio dependet à sensu: sensibile verò directè & per se cœlestibus corporibus subjicitur tanquam primis suis causis.

Urgetur porrò. Si sidera non cogunt, sed disponunt duntaxat voluntatem, sequitur stante siderea tali inclinatione, voluntatem agere posse adversus illam: Si hoc verum, quæritur, numquid in ea actione, qua voluntas inclinationi superiorum agentiũ adversatur, ab ipsis superioribus dependeat, vel non? primum asserendum non est, quia sibimetipsis superiora adversarentur: neque etiam secundum, quia agens secundum in operando non dependeret à primo, quæ omnia sunt absurda, similiter igitur erit conclusio. R. Non sequitur, voluntas non dependet à corporibus cœlestibus in actione, qua eis resistit, ergo agens secundum non dependet à primo, quoniam primum agens voluntatis est Deus, non corpus cœleste, quod dominium non habet in agentia immaterialia, ut est nostra voluntas.

Urgetur tertiò. Dispositi ad scelera, ut Saturnini, Martiales & Mercuriales, semper agunt secundum congenitam dispositionem, ergo non tantùm disponunt, sed etiam cogunt sidera, quod enim semper est tale, necessariò est tale. R. antecedens absolutè verum non esse, multi enim pericula evaserunt fatum prævidentes, ut patet de Augusto, referente Valer. Max. l. 1.

l.1.& pluribus aliis, quorum catalogum vide ſuprà in principio hujus tractatus. Contingit tamẽ utplurimùm, ut plæriq; congenitam aſtrorum ſequantur inclinationẽ ad ſcelera, perpauci enim ſunt, qui rationis imperio morem gerant, quamplurimi verò ſenſibus ducuntur & geruntur, qui prædictis aſtrorum diſpoſitionibus infecti ſunt & affecti: cujus rei hanc rationem aſſignat Ptolomæus l.3. de Aſtrol.jud. c.16. quia Mercurius rationi, Luna verò animæ ſenſitivæ præeſt: at Luna plerumque validior eſt Mercurio duabus de cauſis: primò, quia corpore longè major eſt & luce validior: altera, quia Mercurius propter parvam diſtantiam loci ſui à Sole, ſemper plerumque eſt ſub radiis ejus. Prẽterea, quemadmodum una virtus diſponit ad alias virtutes, ſic unum ſcelus & peccatum diſponit ad alia, & fit habitus, qui difficulter exuitur aut deponitur, niſi ſapiens anima ſit præſens. *Not.diligentiß.*

Quartò. Qui leniori ſunt mente & ingenio, concedunt quidem inclinare aſtra, interim tamẽ ab hac malorum efficientia ajunt Deum non excludi. Sic enim arguunt: Diſpoſitiones hæ ad diverſa ſcelera, quæ multis inhærent, proculdubio ſunt à Deo, qui autor eſt totius entis: vel igitur ſic diſpoſiti labuntur in vitia, vel non: ſi primum, ergo ex Dei diſpoſitione: ſi ſecundum, vana, ſupervacua & otioſa redditur actio divina, cùm hæ diſpoſitiones ad ſimiles lapſus à Deo ordinatæ, effectum non conſequantur. ℟. Has diſpoſitiones datas eſſe à natura, quæ divinæ potentiæ vis eſt atq; facultas, non ut voluntatem ſuperarent, ſed potius ut ipſæ ſuperarentur à voluntate: quare voluntati dedit potentius fortiusque dirigens, quàm inclinans: dirigens namque voluntatem eſt ratio, quæ immaterialis eſt & æterna, diſpoſitio inclinans voluntatem corporea & materialis.

Quintò. Hæ diſpoſitiones ad peccata ſunt cauſa peccati: at hæ diſpoſitiones ſunt à Deo. Ergo Deus eſt cauſa peccati.

&c. Negatur major. Neque enim dispositiones, sed voluntas est causa peccati: illæ namq; vel auferunt usum rationis, vel non: si illud, non potest intervenire peccatum, culpa enim esse non potest, ubi ratio non habet imperium: si hoc, id est secundum, voluntas remanet libera in operando, ei igitur imputari debet, si malè operatur.

Atq; hi sunt præcipui arietes, quibus pars adversa arcem prædictionum Astrologicarum expugnatam atque eversam putat, sine rationis quidem fulcro, at non sine fuco. Reliqua quæ solent contra afferri, perplebeja sunt & solutu facilia. Audiamus tamen.

5. Opinio, quæ introducit Stoicorum inevitabile fatum, est explodenda. Astrologorum opinio introducit Stoicorum inevitabile fatum: ergo. Major probatur, quia Stoicum fatum è diametro cum decretis divinis pugnat: Minor probatur, quia, si cœlum est causa omnium mutationum, quæ accidunt homini, tam quæ ad bona fortunæ, quàm corporis vel animi, ut docent Astrologi, quibus etiam hora mortis non est abscondita, non possunt hæc mutari, sed manent inevitabilia, quia cœlum immutabile est, & necessariò agit, quicquid agit. Si igitur cœlum omnium hominis actionum causa est, nullus dabitur locus libero arbitrio, sed omnes actiones erunt necessariæ, & fient etiam nobis invitis, nam qualis causa, talis effectus. &c. Laborioso responso hîc opus non est, solutio enim patet ex prioribus instantiis earumq; solutionibus: ad assumtionem autem respondebis per distinctionem inter Astrologiam & Astrologos, tantùm stellarum observationibus tribuentes, ut omnes inde futuros eventus, non tam in his, quæ naturæ vi & instinctu fiunt, quàm in iis quæ rationi & consilio subjiciuntur, prædici posse existiment, & inter illos, qui quædam ex astris præcognosci posse, & quidē παχυμερέστερον, arbitrantur, nullamq;

lamq; actionum neceſſitatem inducunt. Dico quædam, multa enim ſunt effecta naturalia, quæ ab aſtris tanquam cauſis proximis & neceſſariis dependent, ut ſunt eclipſes, ſiderum ac Planetarum conjunctiones, & oppoſitiones, quæ longè ante præſciri & prædici poſſunt, non quidem neceſſitate abſoluta, ſed ex hypotheſi, cùm Deus tanquã prima cauſa ordinem naturæ à ſe ſancitum pro placito poſſit, non repugnante etiã ulla creatura, immutare, ut patet ex 10. Joſuæ, 4. Reg. 20. atque Eſaiæ 38. cap. Reliqua, quæ in proſyllogiſmo aſſumtionis habentur, partim laborant manifeſtæ falſitatis, partim vitioſæ conſequentiæ morbo. Ac diligenter ſunt diſtinguendi hîc effectus ſtellarum dependentes ab his tanquam cauſis proximis & neceſſariis, ab illis, qui oriuntur à ſtellis tanquam cauſis univerſalibus & remotis: unde, cùm præter univerſalem illam aſtrorum vim propinquiores cauſas requirant, nec ſemper eundem exitum ſortiantur, non etiam certò & neceſſariò, ſed contingenter tantùm præcognoſci poſſunt, ut ſunt tempeſtatum aërisq; viciſſitudines, calores, ſiccitates, pluviæ, fertilitates, ſterilitates, &c. quæ verò conſilio fiunt & ratione, immediatè & proximè ab aſtris non dependent, ut ex ſuprà allatis reſponſionibus ſatis apparet.

6. Stellæ & cœlum ab omnibus qualitatibus oppoſitis, quibus in ſublunaria agant, ſunt aliena & remota, ſiquidem ſunt corpora conſtantia, & omnis corruptionis expertia. Probatur. Omnes enim ſtellæ, præſertim fixæ, eandem habent naturam, & qualitates naturales: omnes propter unum finem & uſum ſunt conditæ, videlicet ut luceant ſupra terram, motuq; ſuo certa temporum ſpacia definiant: pugnat quoq; cum ſtellarum & cœli natura, contrarias iis agendi virtutes tribuere, nempe calefaciendi, exiccandi, humectandi, benefaciendi, malefaciendi, ſerenandi, aëremq; perturbandi: & denique quoniam

niam variæ illæ alterationes in aëre non excitantur à ſtellis fixis, ſed partim ab ortu & occaſu Solis, ejuſdemq́; ad nos acceſſu, & à nobis receſſu, partim à diverſa Lunæ apparitione & illuminatione. Hæc ideò propono, ut ſtudioſi habeant materiam opponendi, & diſputandi. Sed ſtraminea ſunt omnia. Qui enim cœlo propterea qualitates ineſſe negant, quòd nõ ſit naturæ elementaris, ſed quintæ cujuſdam eſſentiæ, planè inſenſati exiſtimandi ſunt, quamvis non deſint, qui mordicus contra ſentiant. Eſſe enim in cœlo qualitates, indeq́; ad nos defluere tum ſenſiles, tum occultas & inſenſiles, non eſt controverſum apud eos, qui aſtra diligentius ſunt ſcrutati. Ipſe Ariſtoteles 1. meteor. c. 3. aſtra vocat calida. Et 2. de ort. animal. c. 3. ait, caliditatem, quæ in animalibus eſt, neque ignem eſſe, neque ab igne habere principiũ, ſed à diviniore corpore quàm ſunt elementa, provenire: id autem eſſe elementum ſtellarum. Nulla ergo ſolida ratione probari poteſt, ſtellas calidas non eſſe, cùm ſint corpora lucida, & velut candelæ in mundo accenſæ. Et planè ridiculum eſt, imò nullius genii, aſtra ſtatuere in ſuo orbe qualitatis omnis eſſe expertia, & tamen virtute in ſubjectum idoneum agere, qualitatesq́; & motiones excitare, Solem calidum non eſſe, virtute tamen hæc inferiora calefacere & exiccare, imò fovere omnia & vivificare, luce ſcilicet & radiis. Neque enim quæritur, nec in controverſiam unquam venit, an Sol ſit ita actu calidus, ut ignis noſter elementaris, qui ſubſtantia eſt fervida & in omnia graſſans, & Luna ita actu frigida, ut nix, vel glacies, ſed an Sol inſito & congenito calore calefaciat, Lunaq́; humectet? Hoc enim qui negaverit, cœleſtis caloris ſpiritusq́; ſolaris afflatu eſt planè indignus.

NB. Cùm enim cœleſtibus corporibus Aſtrologus tribuit qualitates, non intelligit paſſivas, & ejuſmodi quæ ſublunaris cognationis & corruptionis ſunt, ſed cœleſtes, hoc eſt, naturæ & eſſen-

essentiæ corporum supralunarium conformes & respondentes. In cœlum, dico, non cadit mutatio successiva, quæ scilicet tendit ex una qualitate contraria ad aliam, quæq; disponit ad corruptionem, & interim tamen non repugnat cœlo mutatio perfectiva aut productiva, quæ scilicet fit sine corruptione aut abjectione alterius formę, quamvis ad sublunaris subjecti conditionem & dispositionem virtus cœlestis semper se accommodet in perficiendo & producendo. Hæc sufficiant ad hunc arietem debellandum.

Nunc singulę syllogismi propositi probationes excutiendæ, falsitasq; demonstranda. Primò enim verum non est, stellas easdem habere qualitates naturalesq; vires: pugnat enim id cum sensu & communi observatione & experientia, quæ duo sunt principia omnium scientiarum. Orionis enim, hyadum, arcturiq; vim in excitandis pluviis & tempestatibus experimur: Caniculæ virtutem in ciendo calore & æstu, & ut uno dicam verbo, pro diverso stellarum concursu, accessuq; & recessu à se invicem, diversas in aëre & hominum corporibus alterationes sentiri, nemo inficiabitur, nisi in Cyclopū & Bœotum agro natus. Quin extremæ ruditatis signum est, affirmare, stellis, præter generalem illam virtutem illuminandi & calefaciendi, occultiores vires non inesse. Licet enim inter se conveniant natura quadam generali, qualitatibusq; communibus, non tamen propterea existimandum est, tam infinitam stellarum copiam, speciali quadā natura & proprietate inter se non differre. Sumamus exemplum à natura plantarum. Quemadmodum enim quædam sunt salubres, quædam insalubres & venenatæ, & tamen à Deo omnes in suo genere creatæ bonæ, ita etiam ex stellis quædam sunt maleficæ, quædam beneficæ, tum ex se, tum etiam respectu diversorum effectuum, quos in diversis corporibus & subjectis excitant sublunaribus, nam di-

versa subjectorum corporum dispositio varias à cœlesti influxu recipit vicissitudines & mutationes, quod diligentioribus Astrologis non est ignotum.

Ex hactenus igitur illatis argumentis contra Astrologiam, eorundemque subjectis solutionibus probè pensitatis, cuivis, (modò œstro contra artem non sit percitus) ad alia etiam quævis argumenta & objectiones respondere non erit difficile, inprimis, quæ contra Planetarum & signorum zodiaci naturam, aspectus, eorundemq; vires, conjunctiones, oppositiones, directiones, regressus, exaltationes, domicilia, ascensiones, descensiones, Planetarumque triplicitates & dignitates sine ullo rationis fulcro contra manifestam experientiam solent afferri. Quis enim non observat, Lunam pro diversa ad Solem positione, crescentemq; vel decrescentem, diversa operari, & pro diversa ad Solem radiatura ut figuram, ita & proprietates & qualitates immutare? non dicam jam de diversis ejusdem effectibus, quos transitu suo per 12. zodiaci signa singulis mensibus excitat, sensu & experientia manifesta. Si in Luna hoc verum est, ut certè est, etiam in reliquis Planetis idem fieri concedendum est, non quidem quoad lucis vicissitudinem, cui Luna sola subjecta est, sed pro diversa eorundem ad Solem vel Lunam irradiatione. Quin & ipsi augeri lumine, minuive dicuntur, augeri cùm Sol ab iis, vel hi à Sole antea eos occultante, & sub radiis comburente, recedunt, minui verò, cùm radios Solis incurrunt, iisque teguntur, quo tempore combusti & debilitati dicuntur. Quid? quòd Planetæ, inprimis luminaria, alios atq; alios effectus habere deprehenduntur, prout aliam atq; aliam cœli domum, locumque occupant, idq; sensu & experientia tam evidente, ut, qui negarit, dignus sit, cui omnes sensus adimantur. Verùm de his & aliis, alibi à me prolixius tractatum est. Coronidis nunc loco, duæ adhuc objectiones, quas indiscussas

cussas relinqui non oportuit, sunt movendæ. 1. Quòd Astrologia judiciaria Canonibus cum Ecclesiasticis tum secularibus, Imperialibusq́; sanctionibus, atq; etiam sacris & divinis decretis sit in totum prohibita, tanquam ars fallax & mendax, cujus præmium est anathematis fulmen & excommunicatio: propositio probatur ex C. tit. de maleficis & Mathematicis, ubi Imperatores inquiunt, l. 2. C. eodem, artem Geometriæ discere atque exercere publicè utile est: ars autem Mathematica damnabilis est & interdicta omninò? Sed respondendum est sic argutanti per concessionem, verum scilicet esse argumentum, si intelligatur de illis Mathematicis, qui illicitas divinationes pollicentur, & ineptias suas Mathematicorum liberali nomine adumbrantes iniquè & falsò defendunt: quorum præcipua intentio est, casus, eventus & accidentia hominum circa vitam & mortẽ magicis incantationibus manifestare, sic enim textum allegatum interpretandum esse præter Ulpianum & alios, vir de studio juris meritissimus Cujacius scripsit in Cod. tit. de malefic. & mathemat. Nam propter insignem abusum Magia cum Astrologia ita olim confundebatur, ut, quicquid diabolicum, nefandum, illicitum, damnandumq́; ex decreto & ordine divino rectè judicabatur, titulum Mathematicorum sibi usurparet contra artis principia vera, id est, neq; Deo, neq; naturæ repugnantia. Verus Astrologus, nullis superstitionibus, sed veris & certis siderum influxibus in sublunaria evidenter agentibus nititur, causamque primò moventem Deum, non modò agnoscit, sed etiam piè & cordatè præsupponit, veritatis scopum in suis divinationibus assequi licito probatoq́; modo studens, &c. Atq; hæc vera solutio est primæ objectionis.

2. Est autem tota occupata in zodiaci signis & Planetis: plausibilis admodum primo auditu, spectabilis primo obtutu, in verbis vera, sed sensu & intellectu depravatissima.

Qui sine ratione aliquid comminiscitur, idq; tanquam certum dijudicat, temeritatis meritò est arguendus.

Astrologi signorum, & Planetarum naturas comparant domiciliis cœli sine ratione. Ergo. Propositio patet. Assumptio probatur. Nam Astrologi unanimiter in eo consentiunt, aquarium esse Saturni carpentum & domicilium, quo in signo majoris perhibetur efficaciæ quàm in aliis, propter affinitatem & convenientiam. At verò aquarius cum natura Saturni non convenit, nam Saturnus est frigidus & siccus, aquarius calidus & humidus. Ergo ratione aquarii cum Saturno nulla est conformitas, ratione scilicet qualitatum signi aquarii & Saturni. Merum igitur & purum commentum est, quod Astrologi asserunt. Sic Jupiter, inquiunt, nihil commune habet cum piscibus, qui Jovem agnoscunt pro Domino. Nam signum piscium est frigidum & humidum, Jupiter verò calidus & humidus: hic Jupiter concordat cum piscibus in qualitate passiva, videlicet humiditate, sed discordat in qualitate actuali, videlicet caliditate & frigiditate. Ergo vanissima sunt Astrologorum decreta. Hoc argumentum, ut dixi, plausibile est. Sed peritus & verus Astrologus distinguit inter signa stellata firmamenti, & inter signa primi mobilis, quæ dodecatemoria dicuntur, quorum præcisè quodlibet est 30. graduum, signum verò octavi orbis interdum plures, interdum pauciores gradus continet. Cumq; ex tardo firmamenti motu factum sit, ut stellæ fixæ & octavi orbis simul omnes loco motæ sint, & signa zodiaci octavi orbis, in suis amplius dodecatemoriis non existant, sed loco orientaliori, sequitur magnam esse differentiam inter dodecatemorion & signum stellatum. Nam signa mutantur & loco moventur, dodecatemorion loco non dimovetur, sed 12. zodiaci pars est fixa. Hæc sunt fundamenta artis. Nunc ad rem concluſivè & breviter. Saturno frigido & sicco tributum est signum

gnum aquarii calidum & humidum non ſtellatum (nam ſtellarum ſigni aquarii ſtellati ſat magna pars hodie conceſſit in dodecatemorion piſcium) ſed dodecatemorion verum, naturæ & qualitatibus Saturni conforme, ille ſcilicet locus zodiaci, in quo magis gaudere & dominari deprehenſus eſt, licet ſtellæ octavi orbis in id incidentes, ſeu eo incluſæ cum Saturno non uſquequaq; omnes conveniant, id enim nulla ſeculorum ætate obſervatum eſt, quamvis non omnes etiam ab influentia ejus & natura diſſentiant. Sic piſces ſtellati in orbe 8. conſpicui ſtellisq; inſigniti non ſunt verum domicilium Jovis, ſed dodecatemorium piſcium naturæ Jovis reſpondens & conforme. Non enim hæc dignitas Planetæ, quæ carpentum & domicilium dicitur, æſtimanda & menſuranda eſt ex nomine ſeu appellatione & loco ſigni ſtellati, ſed certo ſpacio zodiaci primi mobilis, naturæ, influentiæ, & dignitati ipſius Planetæ non repugnante, quamvis non negârim, reductionem aliquam fieri poſſe ad ſigna ſtellata, ſed adhibito judicio firmato. Ac diligentiſſimè hîc obſervandum eſt, quęnam & quot ſtellę firmamenti, ſeu orbis ſtellati cadant in quodlibet dodecatemorion, nam ſine hac obſervatione omnes Aſtrologorum prædictiones cœcas eſſe & mancas apertè profiteor. Pertinent autem ad dodecatemorion arietis cornu præcedens, cepheus, Andromeda, piſcium alter cum lino, & cetus, excepta cauda & capite, hoc enim incidit in principium dodecatemorii tauri, illa in finem piſcium.

Ad taurum pertinent cornu arietis ſequens, Caſſiopœa, perſeus, excepto dextro crure, triangulum, arietis, ipſiusq; tauri pars poſterior.

Ad geminos totum ſidus aurigæ, caput tauri ſeu hyades, orion, lepus.

Ad Cancrum cauda ursi minoris, & majoris pars anterior, gemini toti, canis uterq; & Canopus.

Ad Leonem pars anterior ursi minoris, pars media ursi majoris, cancri præterea, leonis, hydræ, & Argonavis partes anteriores, & cauda draconis.

Ad virginem, cauda ursi majoris, leonis pars posterior, crater, caput virginis cum coma Berenicæa.

Ad libram virgo ferè tota, corvus, arctophylax, centauri pars posterior.

Ad scorpionem corona borealis, centauri pars anterior, chelæ seu lanx utraq;, caput serpentis, Herculis dextra, serpentis anteriora, lupus, centauri anteriora, & frons scorpii.

Ad sagittarium Herculis sinistra, serpentarius totus cum serpentis medio, scorpii media & posteriora, & ara, item caput draconis.

Ad capricornum lyra, aquila, sagitta, sagittarius ferè totus, corona australis, cauda serpentis, Antinous, & cornua Capricorni.

Ad aquarium capricornus ferè totus, aquarii sinistra, delphinus, piscis meridionalis, cygnus seu gallina.

Ad pisces, piscis zodiaci præcedens, Pegasus, urna & aqua fusa aquarii. His igitur observatis, facilè est discrimen invenire inter signum stellatum, & dodecatemorion stellatum, ac plurimum interest scire, ad judicia Astrologica rectè conformanda, quæ stellæ firmamenti nostra ætate singulis dodecatemoriis includantur, hoc enim nosse, est rerum futurarum in hoc durante mundo fores aperire. Atq; hic ἀκροτελευτίου mei finis esto.

SOLI DEO LAUS, HONOR,
ET POTESTAS.

§ (*) §

DE CONJUNCTIONIBUS MAGNIS INSIGNIORIBUS SUPERIORUM PLANETARUM, SOLIS DEFECTIONIBUS, & Cometis, in quarta Monarchia, cum eorundem effectuum historica expositione.

HIS AD CALCEM ACCESSIT PROGNOsticon ab anno Domini 1564. in viginti sequentes annos.

AUCTORE
CYPRIANO LEOVITIO à LEONICIA,
Boëmo, Hradecense, Mathematico.



MARPURGI, apud Paulum Egenolphum.

cIↃ cI cXVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777758865/phys_0085
DFG

DANIELIS II.

Sapientia & fortitudo Dei sunt, ipse mutat tempora & ætates, transfert regna atq; constituit: Dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse revelat profunda & abscondita: & novit in tenebris constituta: & lux cum eo est.

Ibidem.

Est Deus in cœlo revelans arcana, quæ ventura sunt in novissimis temporibus.

Plato in civili, sive de regno.

Vniversum hoc aliâs Deus ipse regit, agitat, atque rotat: aliâs verò dimittit, cùm mundi circuitus competentia sibi curricula temporis expleverunt. Mundus verò ultrò ac libero tum motu contrà reflectitur. Nam & vivit, & sapientiam ab eo, qui ab initio construxit illum, est sortitus.



ILLU-

ILLUSTRISSIMO AC LITERATISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO,
DOMINO AUGUSTO,
PRINCIPI ANHALDINO, COMITI
Ascaniæ, Domino in Zerbst & Barenburg, &c. Domino suo clementissimo,

ROD. GOCLENIUS MED. D. PRECATUR
faustum fortunatumq; anni ineuntis 1618. & longè sequentium, auspicium.

IN Olympico enim hoc habitaculo firmiter stabiliendo, ne κολυεῖν, claudicans & mancum maneat, àq; prætereuntium & aspicientium calumniis sit immune, Tuo quoq;, Augustissime AUGUSTE, Princeps clementissime, fulcimento nobis opus est: quid verò ita? Ab blandiri non est meum: dicam ingenuè, & quod verissimum esse ex clarissimorum homi-

num sermone cognovi, Celſ. Tuam non solùm ingenuarum ac liberalium artium esse Patronum incomparabilem, sed etiam professores & excultores earundem divino quodam amore prosequi, ampliſſimisq; præmiis afficere. Unde ad Leovitianum tractatum novis typis digniſſimum, àq; mendis, quibus scatebat, per me repurgatum, stabiliendum, nihil deprehendi solidius & stabilius, quàm si sub Auguſtiſſimo Celſ. T. nomine in publicum promicuerit. Rogo igitur demisse, ut, qui Sereniſſimo olim Maximiliano fuit gratiſſimus, Illuſtriſſima quoq; Celſ. Tua eundem celebratiſſimo Famæ suæ Templo affigi clementer patiatur, in publicum erga C. T. totiusq; Generoſiſſimæ Anhaldinæ Prosapiæ, mei meorumque testimonium & obſervantiam. Dominus JESUS Celſ. T. feliciſſimè & longiſſimè sospitet. Marp. è Muséo meo, 1617. XXIX. Nov.

§ (*) §

SERE-

SERENISSIMO, POTENTISSIMO ET INVICTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO MAXIMILIANO II.

Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regi: Archiduci Austriæ: Duci Burgundiæ, ac Silesiæ: Marchioni Moraviæ, & Lusatiæ: Comiti Tyrolis, &c. Domino suo Clementissimo.

HABES, meo judicio, Maximiliane Cæsar sereniſſime, quod voluisti, præcipuam historiam totius Quartæ Monarchiæ, ad causas cœlestes, ac syderum motus accommodatam: breve & exiguum quidem opusculum, sed quod mihi tamen non parvo labore constiterit: dum per seriem motionum cœlestium ultra mille sexcentos annos in præteritum tempus recurrendo, insigniores Conjunctiones magnas perquiro: easq; cum eclipsibus & Cometis connecto. Quod nemo certè fecit hactenus. His ex eadem doctrina exædificatum accedit Prognosticon in annos viginti sequentes. Historias breviter tantùm indico, & quasi digito demonstro: non explico: eò quòd id nõ sit hujus instituti. Nec in colligendis syderum effectibus semper causas sigillatim enumero: quòd ea res & permagnum volumen requireret, & T. S. R. M. tot, tantorumq; regnorum procuratione occupatæ allatura fuisset cognoscendi molestiam. Nonnunquam etiam ex stellarum configurationibus collationem rerum in Ecclesia gestarum facio, quam etsi singulari & arcano Dei consilio gubernari, nec à causis secundis regi statuimus: negari tamen non potest, quin Deus suam quo-

que Eccleſiã hæc corpora tanto artificio condita intueri, eamque de futuris eventibus qualemcunq; inde conjecturam capere velit. Cujus me laboris ampliſſimum fructum conſequutum putabo, ſi S. R. M. T. hac in re ſatisfactum eſſe intellexero. Quam ut Deus Opt. Max. diu florentem, & incolumem conſervet, & tam auguſtam ipſius trium regnorum inaugurationem Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ (in quem eventum omnium animi ac preces intentæ ſunt) fauſtam, fœlicem, fortunatamq; eſſe velit, ex toto pectore precor. Valeat S. R. T. M. Datum Laugingæ ad Danubium, Octavo Calend. Octobris, Anno Domini M. D. LXIII.

Tuæ Sacræ Regiæ Majeſtatis

humilimus ſubditus

CYPRIANUS LEOVITIUS à LEONICIA.



In

In ἀκροτελεύτιον Astrologicum

Clariss. D. RODOLPHI GOCLENII,

RAPHAELIS EGLINI ICONII, S. THEOL.

D. & Professoris Marp. ad Lectorem

PROGRAMMA.

QVis fuit, in cœli qui primus sustulit arces
Lumina? Cognatas hausit & inde faces?
Pulchrius in toto quibus est nihil undiq; mundo,
Harmonico motu dulce ciente melos?
Primus Adam, primæva parens tuq; Eva fuisti,
Mirati æternis ignibus ire dies;
Tempora nec tantùm discernere mobilis anni;
Verùm etiam radiis cuncta fovere suis:
Vnde genus varium constanti fœdere natum,
Semina Naturæ quoq; sequente suæ.
Hinc Chaldæa licet Gens depravârit abusu
Divinatricis non licitum artis opus:
Haud tamen idcircò tollendus verior usus,
Nec vis influxus inficianda poli.
Si dubitas, breve, Lector, opus, quod Nobilis offert
Astrologus, mecum perlege, certus eris.
Gratia magna tibi, GOCLENI, *jure parata est,*
Quòd nos incertâ non sinis ire via.

Prid. Cal. Decemb. M. D. CXVII.

HENDECASYLLABUM

In opus præclarum de Magnis Conjunctionibus, clarissimi viri,

D. CYPRIANI LEOVITII à LEONICIA,

Conscriptum à

JOHANNE MERCURIO MORSHEMIO, PROFESSORE

Scholæ Ducalis Laugingæ.

FAtorum seriem gravesq; motus
Romani Imperii, Ducumq; bella
Magnorũ, quibus est petita Roma,
Et Regnì varias vices ruentis,
Et sævos populi sub hoc furores,
Quasq; Ecclesia sensit ipsa pestes,
Dum partæ numerat salutis annos
Ex astris CYPRIANVS, arte mira
Præstans, ducere monstrat hoc libello:
Eventusq; jubet simul futuros,
Ex cœli positu piè timendos,
Prudentes capere, & cavere pœnas,
Quas divina minatur ira nobis,
Legis ceu tacitamq; concionem,
In cœlo posuit piè videndam,
Vt discat pia turba declinare,

Sup-

Supplex facta Deo, graves furores
Grassantis Sathanæ periculumq́;
Quod cervicibus imminet propinquum,
Grates ergo Deo piè sonabis
Grato pectore, corde, voce, lingua,
Quòd te sic monitum cupit paternè,
Tantarumq́; dat artium peritos,
Et virtute graves viros benignè,
Qui norunt superas velut per arces
Vi mentis penetrare, resq́; cœli,
Quas fati Deus esse vult futuri
Semper non dubitata signa nobis,
Gnaro pectore promere & proferre:
Hos servetq́; petes piè, per ævum
Nobis omne, suo regatq́; nutu
Sancto, nostraq́; Spiritu gubernet
Semper pectora, ne ruamus, ægra,
In præceps, moniti sed ut cavere
Discamus mala cuncta pœnitentes.
Sic flecti poterit Deus vicissim:
Et prudens pius omne declinabit
Pœnarum genus, astra quod minantur,
Dum contemptor iners peribit omnis,
Qui ridere Deum solet minantem,
Has vanasq́; calumniatur artes.

§(*)§

IN PRÆCLARUM HOC NOBILIS ET CLARISSIMI VIRI, D. CYPRIANI à LEOWICZ opus Astrologicum Epigramma *Wenceslai à Kaltenstein*, Illustris Scholæ Laugingensis Professoris, ad Lectorem.

Candida, quæ nitido volvuntur sidera cœlo
Formavit mira conditor arte Deus.
Indidit & vires, quæ corpora lumine tacta
Afficiunt variis inferiora modis.
Sæpè etiam cladis prænuncia signa futuræ
Heu nimium veris astra dedere notis.
Nec frustrà monuere graves instare tumultus
Eventu toties sidera nacta fidem.
Scilicet his homines voluit cognoscere signis
Conditor, hunc mundum qui regat, esse Deum.
Ne casu fieri nullo moderante putemus
Quæ certis opifex legibus ire jubet.
Si quem tantarum fugit admiratio rerum,
Huic nihil humani pectoris esse scias.
Quisquis amas igitur cœli miracula nosse
Autoris referunt quæ documenta sui.
Huc ades, hunc avida cognoscas mente libellum,
Auspicio prodit qui CYPRIANE *tuo.*
Qui varias rerum deducis ab æthere causas,
Eventus semper quæ peperêre novos,
Colligis & casus Astrorum viribus ortos,
Ante pedes quæ sint aspera fata mones,
Scilicet es meritò summo celebrandus honore,
Cujus ab ingenio talia scripta fluunt.
Ergo tibi dignas lectorem dicere grates,
Convenit, atq; tibi quenq; favere decet.

§(*)§

INSTI-

INSTITUTÆ tractationis nostræ, Maximiliane Rex inclyte, exordium capiendum est à distributione Trigonorum: quæ ex elementorum ratione & natura quadripartita constituitur. Primus enim Igneus est: alter Terreus: Aëreus tertius: quartus Aqueus. Ad hanc partitionem accommodabimus generale Trigonorum imperium: ita nimirũ, ut quo quisq; tempore extiterit atq; viguerit nobis consideretur: annexa cujusq; speciali descriptione magnarum Conjunctionum superiorum Planetarum, quæ fuerum, & quę deinceps expectantur, demonstratis breviter earum effectis illustribus historiarum exemplis. Quæ hujus disciplinæ tractandæ ratio non modò homine Christiano digna, sed maximè etiam necessaria videtur: nisi fortè quispiam hominem humo excitatum, celsum, & erectum ideò constitutum putet, ut sese ipsum deserat, vel ut cæteræ pecudes ad pastum pronum se abjiciat, contempto prorsus earum rerum studio, quæ & majestatem, & sapientiam infinitam conditoris demonstrant, & conditionis nostræ, fragilitatisq; humanæ nos admonent. *Distributio Trigonorum.*

Verùm ut ad institutum revertamur, hujus operis initium non repetemus altius, quàm à Monarchia Romana, in qua nunc admodum languente versamur: quæ & in ordine quarta est: & vaticinio Danielis futura ultima. Quippe, cùm nulla alia expectanda sit nobis, præter cœlestem illam, & sempiternam, quam cæterorum regum ac populorum Rex, Imperator, victor ac judex, Dominus noster Jesus Christus Dei filius

constituet. Qua in re principio notandum est, oriente quarta
Trigonus Aqueus. Monarchia, Imperium obtinuisse Trigonũ Aqueum. Nam anno 47. ante nativitatẽ Salvatoris nostri, annis verò 5. ante interitum Julii Cæsaris, Conjunctio magna superiorũ Planetarum
Conjunctio in Scorpione. extitit in Scorpione: quo tempore bellum civile inter Julium Cæsarem, & Pompejum Magnum exarsit, cujus belli diuturni reliquiæ, paulò post hanc Conjunctionem magnam extinctæ sunt. Atque ita Julius Cæsar oppressis adversariis, qui statum popularem tuebantur, primus hanc quartam Monarchiam inchoavit.

Cæterùm Jesus Christus recuperator salutis nostræ, na-
Finis Trigoni aquei & initium Trigoni ignei. tus est ex Maria virgine in Bethleem Judæ, ut sacri vates prædixerant, circa finem Trigoni Aquei, & principiũ Trigoni Ignei.
Conjunctio in Piscibus & Ariete. Annis enim 6. nativitatem ejus præcessit coïtio magna superiorum Planetarum in fine Piscium, & principio Arietis.

Postea verò labente anno Christi 34. hoc est, anno post
Conjunctio in Leone. glorioſam ascensionem ejus primo, secuta est Conjunctio magna superiorum Planetarum in principio Leonis: quo tempore Evangelii doctrina sparsa est in universum orbem terrarum per Apostolos, qui magnis miraculis editis, plerasq; gentes ad fidem Christianam converterunt, varia cognitione linguarum
Trigonus Igneus. à Spiritu sancto imbuti. Unde liquet Trigonum Igneum flagrasse sub Caligula, Nerone, Vespasiano, & aliis Imperatoribus, qui hos aliquot ætatibus secuti sunt.

Hinc anno post nativitatem Domini 73. sub initium Im-
Conjunctio in in Sagittario. perii Vespasiani, incidit Conjunctio magna superiorum Planetarum in Sagittario, ubi excisa est Hierosolyma: populus Judaicus summa crudelitate trucidatus: regnumq; illud inclytum, & quondam florentissimum, & à Deo ipso conditum penitus eversum.

Diocletiano, & Constantino Magno imperantibus, viguit Tri-

Trigonus Terreus, in quo tres potissimùm Cõjunctiones magnæ superiorum Planetarum consideratione dignissimæ acciderunt. Prima fuit in Tauro, anno Christi 293. cùm Diocletianus Imperator, & Maximinianus Imperii socius per Ægyptum ac Persiam arma circumtulissent, Francos & Alemannos superassent, mox pacatis ubiq; provinciis, planè inusitatam tyrannidem adversus Christianos exercuerunt, ita ut ab exitu Israëlitarum ex Ægypto, Ecclesiæ nunquam fuerit miserabilior conditio. Altera Conjunctio magna contigit anno Domini 312. in Capricorno, quo tempore Constantinus Magnus imperare cœpit, qui peremptis quinq; tyrannis, collapsum imperium restituit: & Ecclesiæ primum pacem dedit. Nam hujus virtute accidit tanta rerum conversio, ut ea memorabilior vix ulla in literis extet. Idem Constantinus primum Imperii sedes propter Orientalia bella Byzantium in Græciam transtulit.

Trigonus Terreus.

Conjunctio in Tauro.

Conjunctio in Capricorno.

Imperii sedes Roma Byzantium translata.

Tertia Conjunctio magna superiorum Planetarum fuit anno Domini 331. in Virgine, cùm Nicena Synodus celebraretur, ubi Ecclesia Dei graves distractiones passa est ob Arrii dogma impium, qui summo principi paulò ante obitum per suos quosdam emissarios astutè & perfidiosè imposuerat.

Conjunctio in virgine.

Trigonus autem Aëreus dominari incepit paulò ante Theodosii II. Imperatoris mortem, quam stupenda prodigia antecesserunt ipso anno Domini 430. quo coïtio magna in principio Aquarii accidit. Et duravit idem Trigonus Aëreus sub Martiano, aliorumque imperio, qui hujus ætatem secuti sunt. Atq; tunc miserè dilacerari cœpit Imperium Romanum per Galliam à Gotthis, Pannoniam & Illyricum ab Hunnis, Italiam similiter à Gotthis, & Vandalis, qui portentoso auspicio urbem Romam, Imperiorum omnium, quæ Sol unquam viderat, potentissimi ac maximi domicilium, ferro igneq; excide-runt. Eo tempore quoq; Ecclesia plurimum detrimenti acce-

Trigonus Aëreus.

Conjunctio in Aquario.

pit à Pelagio, & Neſtorio, profligatæ impietatis hominibus.

Trigonus Aqueus.

Trigonus Aqueus incidit plenè in gubernationem Heraclii Imp. Nam anno Domini 630. fuit Conjunctio magna ſuperiorum Planetarum in Scorpione, cæteris memorabilior: circa quod regnum Mahometicum cœpit, quod ingentem, & horrendam mutationem, ac vaſtationem in genere humano attulit. Ac veroſimile eſt id duraturum uſq; ad finem mundi unà cum Monarchia Romana, cùm utrumq; ſimul ortum ſit ſub eodem ſigno Zodiaci, Scorpione videlicet. Verùm ſicut Monarchia Romana adeò comminuta, & extenuata eſt, ut vix umbra ejus appareat: ita Mahometicum regnum quoq; diſſipabitur.

Conjunctio in Scorpione.

Mahumetici regni initium.

Finis Trigoni Aquei, & initium Trigoni Ignei.

Finis Trigoni Aquei, & initium Trigoni Ignei, incidit in annum Domini 769. Tunc enim accidit Conjunctio magna ſuperiorum Planetarum in extremo Cancri, & principio Leonis, quam paulò ante & præceſſerunt, & ſequutæ ſunt aliquot magnæ eclipſes Solis. Quo tempore Carolus Magnus poſt mortem Pipini patris, qui Longobardos, Saxones, & Aquitanos vicerat, regnare cœpit: per quem maximæ, & ſalutares mutationes extiterunt, tum in religione, tum in politiis: devolutaq; eſt ad eum gubernatio Italiæ, cum Romani Imperatoris titulo: ita, ut ſub eo facta ſit pulcherrima conjunctio Galliæ, Italiæ, ac Germaniæ. Atq; ita quaſi rurſus Imperii diviſione facta, Carolus Magnus Occidentē tenuit, imperante ad Orientem Nicephoro. Sed cùm Græci Imperatores injuſtè dominarentur, & poſteriores inhumana crudelitate in ſua quaſi viſcera ſævirent, rebus paulatim dilabentibus, facilè Turcarū ignobiliſſimæ gentis injuriis obnoxii fuerunt, à quibus abſumpti ſunt. Porrò ſtatim ſub initium prędictę Conjunctionis magnę, quæ contigit in extremitate Cancri, & principio Leonis, Carolus Magnus Aquitaniam, & Vaſconiam imperio ſubegit. Biennio

Conjunctio in Cancro & Leone.

Eclipſes Solis aliquot.

Franci Imperium Occidentis adipiſcuntur.

nio deinde pòst Carolomannus frater mortuus est, cujus portio Carolo accrevit: ita ut deinde solus regnũ Franciæ teneret. Hinc verò triennio pòst exortum est bellum Saxonicum, quod varia fortuna annis 33. continuatum est. Victi tandem Saxones à Carolo, imperio quoq; accesserunt. Quadriennio pòst, Desiderium Longobardum reliquæ Italiæ inhiantem compescuit. Et interjecto quinquennio, Bulgaros repressit. Post hæc etiam multa gessit bella difficilia & magna contra Sarracenos, qui occupata Hispania, crebris incursionibus Galliam attentabant. Sed hi quoq; tandem cæsi, ac repulsi sunt. Atq; hæc evenerunt vigente prima illa Conjunctione magna, quæ fuit in fine Cancri, & initio Leonis.

Nunc quid evenerit sub altera Conjunctione magna superiorum Planetarum, paucis aperiam. Incidit ea quoque in Caroli Magni tempora, in annum videlicet Domini 789. & facta est in extremitate Piscium, & principio Arietis. Hoc ipso anno Carolus Magnus Sclavos, qui nunc Bohemi esse putantur, victos imperio subjecit. Anno secundo pòst, Adalgisus Rex Italicus captus, & à Francis occisus est. Anno tertio pòst, bellum Hunnicum exortum est, in quo ferè stirps Hunnorum universa à Carolo Magno deleta est. Nec ullum prælium factum, quo Francones magis sint locupletati, quàm hoc ipso. *Conjunctio in Piscibus & Arrete.*

Tertia Conjunctio magna superiorum Planetarum accidit vivente adhuc Carolo Magno, anno Domini 809. in principio Sagittarii, quam etiam plures horrendæ eclipses insecutæ sunt: maximè verò anno sequente, qui fuit annus Domini 810. Sol & Luna bis eclipsin passa sunt. Postea iterum anno Domini 812. eclipsis Solis magna conspecta est: itidemq; anno Domini 813. Præterea illuxit terribilis Cometes anno Domini 814. Hæc evenerunt paulò ante mortem Pipini, filii Caroli Magni, & ante obitum Caroli Regis Pannoniæ: deniq; ante ipsius Caroli *Conjunctio in Sagittario.* *Eclipses aliquot.* *Cometes.*

roli Magni ſummi Heroïs ex hac vita diſceſſum. Tunc etiam bellum cruentum inter filios Regis Danici exortum eſt. Cæterùm ſub reliquis Imperatoribus, qui Carolum Magnum ſequuti ſunt, viguit Trigonus Igneus: circa cujus finem pervenit Imperium à Francis ad Saxones, cùm videlicet Berengarius Longobardorum Dux, Ludovicum ultimum Francorum Cæſarem, in quo ſtirps Caroli Magni deſiit, prælio captum exoculaſſet: cumq; Sarraceni, Aphri, & Hungari Italiam immaniſſimè vaſtarent, fuit rerũ ſumma delata ad Ottonem Saxonem, qui cùm ætate gravis eſſet, principibus author fuit, ut Conradum Franconiæ Ducem Cæſarem crearent: cui ſucceſſit poſtea Henricus, cognomento Auceps, Ottonis filius, ex familia Widekindi, qui 28. annos contra Carolum Magnum bella geſſerat. Quod factum eſt anno Domini 919. Exeruit tunc adhuc ſuos effectus Conjunctio magna ſuperiorum Planetarum facta in extremis gradibus Arietis, quæ aliquot annis tranſlationem hanc dignitatis anteceſſit. Atq; ſanè Trigoni illius Ignei finis dilatavit ſe ſenſim uſq; ad Henrici II. Imperatoris tempora, qui fuit Princeps pius, clemens, ac munificus: ſuſcepitq́ue Imperium anno Domini 1002. ſub eo incepit Trigonus Terreus, quo durante, multa & varia certamina de Imperio ac Pontificatu fuerunt: ex quibus nefariæ cædes ſecutæ. Tempore Henrici III. Imperatoris, tres de Pontificatu ambitiosè contendentes dejecti ſunt, & alius quartus nomine Clemens II. ex authoritate Imperatoria conſtitutus eſt, qui paulò poſt veneno ſublatus fuit. Sed Trigonus ille Terreus ſolidas adeptus eſt vires ſub Henrici IV. Imperatoris tempus, in quo dominandi libidine, & ſcelere Pontificum hoc Imperium conquaſſatum eſt. Ii namq; ſuo arbitrio Imperatores creatos removendo, & eoſdem Imperio per dolum privando, ſubſtitutis ſubinde aliis, ingentia bella excitarunt. Imò tanta fuit eorum etiam perver-

Trigonus Igneus.

Imperium delatum à Francis ad Saxones.

Conjunctio in Arietem.

Trigonus Terreus.

ſitas,

sitas, ut Principes quidam bis in Imperium ab his asciti, atque rursum bis dejecti fuerint. Cujus rei documentum esse potest Henricus IV. qui puer septennis Imperium accepit anno Domini 1057. ac deinde ubi virilem ætatem attigit, bella gessit plurima, bis & sexagies acie dimicavit, lacessitus crudelissimis suorum odiis, ac seditiosis conspirationibus Pontificū, & aliorum. Ac principio novies conflixit cum Saxonibus, profligato Rudolpho Duce Suevorum, cui Papa auream coronam miserat in ignominiam Henrici: Victor tandem evasit Imperator anno Domini 1080. ac paria faciens cum Pontifice, deposuit eum vi & armis à Pontificatu, à quo prius gravi injuria & contumelia affectus fuerat, aliumque in locum ejus suffecit, à quo denuò Imperator declaratus est anno Domini 1084. Ac cùm tandem diu multumq; à Pontificibus exagitatus esset, Imperium coactus est tradere Henrico V. filio suo, qui impulsu Pontificum seditioso, ac bello nefario cōtra patrem susceptо, ad Imperium evectus est. Sed dedit sceleris pœnas. Iisdem enim artibus Pontificum est eversus, quibus ipse patrem excusserat. Factum hoc est anno Domini 1122.

Collatio ætatis Diocletiani cum Henrici IV. temporibus.

Notandum porrò hîc est diligenter, quòd quemadmodum Diocletiani tempore viguit plenè Trigonus Terreus: ita sub Henrico IV. Imperatore exercuit perfectè vires suas idem Trigonus Terreus. Et sicut Diocletiani tempore quatuor fuerunt, qui sibi imperium vendicarent, utpote Diocletianus, & ejus collega Maximinianus Herculeus, eorumque duo Duces, Galerius Maximinus, & Flavius Constantius: ita sub Henrico IV. etiam quatuor affectarunt & arrogarunt sibi Imperium, Henricus scilicet ipse, Pontifex Romanus, Rudolphus Dux Sueviæ, & Henricus V. Henrici IV. filius. Item quemadmodum Diocletiani tempore fuit magna Conjunctio superiorum Planetarum in Tauro, anno Domini 293. post quam Conjunctionem

nem tyrannis ſummoperè crevit, & maximè in Chriſtianos ſævitum fuit, ut ſuprà diximus: ita tempore Henrici IV. accidit

Conjunctio in Tauro. Conjunctio magna ſuperiorum Planetarum in eodem ſigno Zodiaci, nimirum Tauro, anno Domini 1087. quo regnũ Pontificium in immenſum crevit, & potentia ejus in opprimenda vera doctrina filii Dei, ac delendis viris piis potiſſimùm excelluit. Præterea ſicut anno Domini 331. accidit Conjunctio magna ſuperiorũ Planetarum in Virgine, quo tempore Arrii dogma impium Eccleſiam Dei turbavit: ita anno Domini 1127.

Conjunctio in Virgine. eadem Conjunctio magna fuit in Virgine, quo ceremoniæ falſæ ac ſuperſtitioſi ritus, à Pontificibus excogitati, in Eccleſiam Dei irrepſerunt, eamq; prophanârunt.

Trigoni Terrei finis. Cæterùm circa finem Trigoni Terrei, ſuſcepit Imperium Fridericus I. cognomento Barbaroſſa, in quo pulcherrimæ virtutes fulſerunt, fides, pietas, magnitudo animi, pacis & tranquillitatis publicæ ſtudium. Ac imperante eo accidit anno Do-

Conjunctio in Capricorno. mini 1166. Conjunctio magna ſuperiorum Planetarum in Capricorno, in quo ſigno Zodiaci etiam ſub Conſtantino Magno eadem Conjunctio magna facta eſt anno Domini 312. ut ſuprà commemoravimus.

Collatio Friderici I. & ejus temporis cum Conſtantino Magno atq; ejus Imperio. Quemadmodum autem tunc Conſtantinus Magnus rabiem tyrannicam adverſus Chriſtianos repreſſit: ita Fridericus I. ſuo tempore, ſuſceptis aliquot periculoſis expeditionibus in Italiam, Pontificum ſævitiam compeſcuit, ob quam cauſam poſteritas Friderici à Pontificibus exoſa fuit. Exinde Turcas magnis prœliis ſtravit, & coërcuit à Chriſtianorum injuria. Et ſicut Conſtantinus Magnus pacem, leges, judicia, & Eccleſias conſtituit: ita Fridericus I. ſublatis cauſis & occaſionibus maximorum bellorum & tumultuum, tranquillitatem Germaniæ peperit, Scholasq;, quæ ſunt ſeminaria Eccleſiarum, aperuit. Sub eo Septemviratus, qui hactenus vinculum fuit liber-

Alii ſub Otto. tatis

tatis & Imperii, in Germania constitutus traditur. Item Bohemiæ Dux diademate ornari cœpit, cùm antea regia dignitate caruerit. Vi fluminis tandem obrutus fuit in Asia insignis Heros, quod lavandi causa fuerat ingressus, anno Domini 1189. Trigonus Aëreus dominari cœpit statim post Friderici I. mortem, qui Trigonus cùm aliquantum inoleviſſet, facta est in eo Conjunctio magna superiorum Planetarum in Geminis, anno Domini 1206. cui etiam defectio Solis magna in Februario accessit: circa quod tempus duo Imperatores electi, & inaugurati fuerunt, Philippus Suevus, & Otto IV. Saxo, qui ambo inter se de Imperio hostiliter digladiantes, Germaniæ maximum detrimentum injunxerunt. Biennio post hanc Conjunctionem magnam, rabientibus adhuc effectibus eclipsis solaris, interfectus est ex insidiis Philippus Imperator, Bambergæ, ab Ottone de Wittelspach, cui Otto IV. Dux Saxonię in Imperio successit, sub quo Franciscani ac Dominicani nati sunt, teterrimæ veræ religionis, & rei literariæ pestes. Hic Otto Imperator infelix fuit: & cùm excidisset gratia Pontificia, imperio privatus est à Principibus: cui Fridericus II. Dux Sueviæ suffectus est, qui similiter per Pontifices ab imperio dejectus, anno Domini 1246. Quo anno fuit Conjunctio magna superiorum Planetarum in Libra.

ne III. Senatum Electorum cœpisse scribunt.

Trigonus Aëreus.

Conjunctio in Geminis.

Eclipsis Solis.

Conjunctio in Libra.

Cæterùm in medio Trigoni Aërei, hoc est, anno Domini 1273. post longum interregnum, electus est Imperator Rudolphus, Comes ab Habspurg, vir magnus bello ac consilio. Tum duravit adhuc Conjunctio magna superiorum Planetarum in Geminis, quę accidit anno Domini 1266. Hic Rudolphus Marchionem Badensem rebellem bello persecutus est: Ducem Bavariæ ingenti exercitu ad Ratisbonam vicit: Othocarum Regem Bohemiæ parvis copiis superavit, eiq; totam Austriam ademit: item Burgundiam armis Imperio subegit: Alsatiamq; in

Trigoni Aërei medium.

Conjunctio in Geminis.

ordinem redegit. Postea conventum habuit Augustæ Vindelicorum, & ibi anno Domini 1282. suffragio Principum filium suum Albertum, Austriæ Ducem constituit. Unde gens Austriaca originē trahit. Etsi verò Rudolphus Imperator res maximas ac præclarissimas gessit: tamen in Italiam venire noluit, quærentibus ex eo causam amicis, sic respondit: Invitata fuisse quondam à Leone omnis generis animalia, quæ cùm tempore constituto venissent, ac montem, in quo habitabat Leo, intrassent: sola vulpes, cùm redire nullum ex iis animadvertisset, pedem retulit, dicens, ut Horatius ait:

——*Quia me vestigia terrent.*
Omnia te adversum spectantia nulla retrorsum.

Conjunctio in Aquario. Postea sub Alberto Cæsare, filio Rudolphi Imperatoris, viguit adhuc Conjunctio magna superiorum Planetarum in Aquario, quæ facta est anno Domini 1286. Sed cùm nova Conjunctio magna in Libra incepisset, quod fuit anno Domini 1305. *Conjunctio in Libra.* accedente tum ei quoq; *Cometa.* Cometa insigni: nec ita diu post, Albertus Cæsar per fata equitans, nihilq; mali metuens, miserabiliter est interemptus ab inimicis suis, qui ejus vitæ insidiati fuerant. Extincto Alberto, inter Septemviros & Imperii ordines, de eligendo novo Imperatore gravis fuit dissensio. Tandem Henricum VII. Luzelburgensem Regem Romanorum salutarunt, anno Domini 1308. qui fuit Princeps magnanimus, pacis ac belli laudibus insignis. Hic Bohemos tumultuantes armis domuit, & in potestatem Lucemburgensium redegit. Periit autem Henricus eximius Princeps in obsidione Florentiæ, cùm ei in Eucharistia venenum monachus porrexisset, qui magnis præmiis ac pollicitationibus ad id scelus fuerat impulsus. Factum est hoc anno Domini 1313. cùm superiore anno terribilis Cometa per 14. dies fulsisset, *Cometa.* qui deinde etiā in Imperio plurima mala excitavit. Sublato Henrico, Imperii ordines convene-

venerunt Francofordiæ, ut de novo Imperatore deligendo consultarent. Cùm alternantibus sententiis, imperium diutius rectore carere non posset, repugnantibus suffragiis, duo simul creati sunt Imperatores, Ludovicus Dux Bavariæ, & Fridericus Dux Austriæ, quorum uterque corona aurea insignitus est. Ac biennio & triennio ante Conjunctionem magnam superiorum Planetarũ, quæ accidit in Geminis, anno Domini 1325. concurrentibus duabus malefici effectus eclipsibus, Ludovicus & Fridericus, ambo inaugurati imperio, tanta via tq; odiis concurrunt, ut cùm Sole oriente præliari cœptum esset, ad ejus occasum usque sit dimicatum: in qua pugna ultra quatuor millia equitum utrinq; cæsa scribuntur. Tandem vicit Ludovicus, & Fridericus captus est cum aliis plurimis viris illustribus. Quo rerum successu Ludovicus Cæsar potentiam suam magis magisq; auxit & confirmavit. Interim Papa Ludovicum execratus, cœpit tractare per Regem Franciæ, & Leopoldum Austriacum de alio Imperatore eligendo, sed frustrà. Nam Ludovicus dolum festinè odoratus, ejus conatus impedivit & elusit. Ac cùm esset Francofordiæ in Comitiis, anno 1338. decretum quoddam contra Papam promulgavit, in quo expressè scriptum fuit: Quòd nec Imperator jura Pontificatus, nec Pontifex jura Imperii sibi usurpare debeat. Imperatorem enim non habere imperium à Papa, sed à solo Deo: item Papam non habere utrunque gladium. Hæc Imperatoris promulgatio paulò post turbas dedit. Ante eam, uno anno, exarsit quoq; Cometa, qui quatuor mensibus duravit.

Conjunctio in Geminis.

Eclipses duæ.

Cometa.

Circa finem Trigoni Aërei facta est Conjunctio magna superiorum Planetarum in extremitate Aquarii, anno Domini 1345. quo terræ motus ingens Germaniam quassavit, pagi & arces multæ corruerunt. Apulia bello æstuavit. Biennio pòst Cometa ingens apparuit, quem statim sequuta est pestis fatalis

Trigoni Aërei finis.

Conjunctio in Aquario.

Cometa.

per universum ferè orbem terrarum, valde diuturna: causa rejecta fuit in Judæos inficientes veneno puteos ac fontes. Idcircò eorum innumerabiles cremati sunt. Tunc quoq; Pontifex Ludovicum Imperatorem anathemate percussit: Archiepiscopumq; Moguntinum, quòd à partibus Imperatoris Ludovici steterat, ab officio & dignitate deposuit. Item prælium cruentum commissum fuit inter Francos & Anglos, in quo cęsi sunt Rex Bohemiæ Johannes, Regulus Baliarium Insularum, Dux Lotharingiæ, & alii summi viri permulti: Rex Franciæ vix fuga elapsus est. Sub eundem annum Ludovicus IV. Imperator venando equo collapsus interiit, cui Carolus IV. Rex Bohemiæ successit, qui Aureæ Bullæ, ut vocant, author est, & thesauros amplos ex fodinis metallicis in Bohemia acquisivit. Ac dum is imperium teneret, sæpiùs Principes Germanorum de alio Rege Romanorum eligendo inter se consultârunt, sed ad quos rerum summa deferebatur, renuebant omnes, præter unicum Guntherum Comitem à Schwarzenburg, qui etsi sub conditione imperium accepit, tamen paulò post extinctus est, non sine veneni suspicione.

Eclipsis Solis in Leone. Anno Domini 1376. die 17. Julii, ante meridiem, contigit eclipsis Solis in gradu tertio Leonis, quę suam vim potissimùm in annum sequentem transfudit. Hanc Solis defectionem pau-

Eclipsis Solis in Capricorno. lò post alia Eclipsis Solis sequuta est anno Domini 1377. die 10. Januarii, in gradu 30. Capricorni, non ita procul distans à corpore Martis. Atq; sic duarum eclipsium solarium effectus in eundem annum Domini 1377. coïnciderunt, quibus etiam o-

Cometa. perationes antegressi Cometæ se commiscuerunt. Quod rarò fieri solet. Quo tempore acriter pugnatum est ad Reutlingam, ubi ceciderunt complures Comites, Barones, milites, ac nobiles Suevici. Sequente anno Domini 1378. cùm adhuc durarent effectus Eclipsis solaris, ac Cometæ, Carolus IV. Imperator mor-

mortuus est. Item electi sunt duo Pontifices Romæ, Gallus, & Italus, quorum pertinax & diuturnum fuit dissidium. Rursus in extremitate Trigoni Aërei, accidit Conjunctio magna superiorum Planetarum, anno Domini 1385. mense Aprili, in gradu 27. Geminorum. Et paulò post in Junio, Mars conjungebatur Saturno, deinde statim Jovi, constitutis in Cancro, quibus etiam Sol & Mercurius accedebant, idem signum Zodiaci permeantes.

Conjunctio in Geminis & Cancro.

Præterea anno uno ante hanc Conjunctionem magnam, contigit Eclipsis Solis terra, die 17. Augusti, in gradu 3. virginis, cujus effectus potissimùm in annum Domini 1386. se extenderunt. Tunc enim Leopoldus Dux Austriæ ab Helvetiis bello victus, cum multis Principibus ac præstantissimis viris occubuit. Et triennio post Conjunctionem illam magnam, anno videlicet Domini 1388. pugna commissa est ad Imperii oppidum Vilam, in qua præter Huldrichum Comitem Wirtenbergensem, tres alii Comites illustres perierunt, cumq; his complures nobiles ac milites. Tandem assiduitate, & virtute Eberhardi Comitis Wirtenbergici civitates victæ sunt.

Eclipsis Solis in Virgine.

Trigoni Aquei principium incidit in tempora Wenceslai Cæsaris, filii Caroli IV. Imperatoris, qui ob ignaviam & fœdam libidinem, ab imperio per Principes Germaniæ depositus, atque in custodia à Bohemis aliquandiu servatus fuit. Hoc vivente, Electores designarunt Imperatorem Rupertum, Comitem Palatinum Rheni, ac Ducem Bavariæ, qui Coloniæ inauguratus est anno Domini 1400. fuit Princeps pientissimus, justitiæq; amantissimus: imperavit annis decem. Ex cujus prosapia adhuc restant Fridericus Palatinus Septemvir, cum fratribus Georgio & Richardo Ducibus. Item Illustrissimus Princeps meus Wolphgangus, qui Ducatum Neoburgensem & Bipontinum possidet, cum suo patruele Georgio Johanne Duce,

Trigoni Aquei principium.

qui superiori anno reginam Suecię uxorem duxit. Sub hoc Ruperto Cæsare statim pestis sæviit, ac varii & inauditi morbi extiterunt. Præterea Rotenburgum à Friderico Burgravio Norimbergensi, ac multis Germaniæ Principibus obsessum fuit, anno Domini 1406. Postea Sigismundus Rex Hungariæ, filius Caroli IV. Imperatoris, victus est cum suis copiis à Turcis, non sine totius Christianæ Reip. clade, anno Domini 1409. Præcesserunt eas calamitates aliquot insignes Cometæ, qui visi sunt an. Domini 1400. 1401. 1402. 1403. Item antecessit clades illas Conjunctio magna superiorũ Planetarum anno Domini 1405.

Cometæ aliquot.

Conjunctio in Aquario & Piscibus.

Nam mense Januario, Saturnus & Jupiter jungebantur in fine Aquarii: mense verò Majo, Mars copulabatur Saturno ac Jovi, constitutis in Piscibus, cui Conjunctioni magnæ, anno Domini 1408. & 1409. duæ defectiones Solis accesserunt: maximè verò post illam Eclipsin Solis horrendam, quæ fuit anno Domini 1409. die 15. April. contigit statim in Majo conjunctio Saturni & Martis, in gradu 25. Arietis. Mortuo Ruperto Cæsare, Sigismundus Rex Hungariæ, communi suffragio Imperator designatus est, anno Domini 1410. cùm adhuc frater ejus Wenzeslaus Rex Bohemiæ superstes esset, cui imperium abrogatum esse dixi suprà. Hic Sigismundus fuit pacis mirè studiosus. Didicit enim suo cum malo pacem colere, cùm antea à Turcis, quæ sit sors belli, edoctus fuisset.

Eclipses Solis duæ.

Imperante porrò Sigismundo, accidit anno Domini 1415. oppositio magna superiorum Planetarum: nam mense Januario, Saturnus in gradu 4. Cancri, & Jupiter in gradu 4. Capricorni, opponebantur inter se è linea: Mars præterea mense Julio opponebatur Jovi decurrenti in gradu 10. Capricorni, ac conjungebatur Saturno constituto in gradu 16. Cancri. Atq; sic omnes tres Planetæ superiores fuerunt pessimè affecti, nimirum in suis casibus & detrimentis. Quæ constellatio non nisi

Oppositio in Cancro & Capricorno.

religio-

religioni periculum minabatur. Plerunq; enim conjunctiones, oppositiones vel eclipses in Virgine & Capricorno, quòd in his signis Jupiter religionis vindex maximoperè debilitetur, mutationes in religione, sacroq; ordine denunciant. Huic oppositioni magnæ commiscuit se etiam Eclipsis Solis horribilis, die 7. Junii, mane, in gr. 24. Geminorum. Tempore igitur oppositionis illius magnæ & Eclipsis, celebratum est Concilium Constantiense, cui interfuerunt Sigismundus Imperator, ac plurimi Principes Germaniæ, in quo Johannes Hussus Bohemus, Pontificias impostura summa constantia, & divino quodam animi impetu oppugnans, exustus est. *Eclipsis Solis in Geminis.*

Anno altero post hanc oppositionem magnam, puta anno Domini 1416. cùm adhuc grassarentur effectus jam positæ Eclipsis solaris, ibidem Hieronymus Pragensis, Hussi socius, & accerrimus puræ doctrinæ defensor, eodem supplicio sanguinis, sitim Pontificiorum restinxit. Eam nimirum hi duo præstantissimi viri, qui ad profligandas tenebras divinitùs erant excitati, à religionis & pietatis antistitibus, pro suis laboribus & vigiliis, mercedem tulerunt. Sed non vicit hæc Pontificum rabies consilium decretumq; divinum. Eodem anno quoque fuit gravis conflictus inter Anglos & Gallos: Angli vicerunt primò Gallos: paulò post tamen hi victores extiterunt.

Anno Domini 1418. orta eo seditio Pragæ inter Pontificios, ac Hussitas. Item tumultus Parisiis excitatus fuit inter populum, ac literarum studiosos, in quo ad duo millia studiosorum cæsa sunt. Tum etiam Wenzeslaus Rex Bohemiæ paralysi correptus obiit. Hæc denunciavit Eclipsis Solis, in gr. 26. Arietis, quę anno Domini 1418. die 6. Aprilis, mane, accidit, ac vires suas statim exeruit. *Eclipsis Solis in Ariete.*

Anno Domini 1419. die 26. Martii, ante meridiem, facta est Eclipsis Solis satis tetra, in grad. 15. Arietis, gubernatore ejus Marte *Eclipsis Solis in Ariete.*

Marte collocato in extremis gradibus Tauri, ac Saturno in extimo Leonis. Hanc eclipsin secutus est novus tumultus in Bohemia: Joannes Zizka genere nobilis, vir ingeniosus, ac rei militaris apprimè peritus, Hussitis favens, collectis magnis copiis, tota ferè Bohemia potitus est, Sigismundo Rege excluso, qui tum quoque Cæsar fuit. Sed mortuus est idem Zizka, multis præliis contra Pontificios victor. Eodem anno ortum est bellum inter Episcopos, & Duces Brunsuicenses, Guilhelmum & Ottonem, & duravit triennium. Sub imperio Sigismundi, anno Domini 1425. accidit Conjunctio magna superiorum Planetarum. Nam circa finem mensis Augusti coibant Saturnus & Jupiter, in gr. 13. Scorpii: ac deinde mense Octobri, Mars copulabatur Saturno & Jovi, constitutis in Scorpione, quibus omnes reliqui Planetæ accesserunt, idem signum Zodiaci transeuntes, excepta sola Venere, quæ signum Virginis occupavit.

Conjunctio in Scorpione.

In eundem etiam annum, imò & sequentem, inciderunt effectus eclipsis Solis valde horrendæ, quę anno Domini 1424. die 26. Junii, vesperi, apparuit, in gr. 14. Cancri: atq; sic commiscebantur inter se conjunctio, & Eclipsis illa magna, altera alterius vires exacerbante. Eodem tempore Carolus Rex Franciæ, Anglorum, Burgundionumque armis petitus, finibus suis ejectus est. Bellum inter Danos & Slesvicenses fuit. Episcopus Bremensis Frisios lacessens, vulneratus & captus est. Pestis vehementissima invaluit. Postea Principes quidam Germaniæ tripartito exercitu Bohemiam ingressi, ab Hussitis repulsi sunt. Unde Bohemię fines versus Misniam & Noricum prolati sunt. Terræ fruges ac vinum intempestivo frigore perierunt.

Eclipsis Solis in Cancro.

Anno Domini 1433. accidit oppositio magna superiorum Planetarum. Mense enim Septembri Saturnus in gr. 13. Aquarii, & Jupiter in gradu 13. Leonis, plenè inter se opponebantur.

Oppositio in Aquario & Leone.

Mars

Mars insuper mense Novembri conjungebatur exactè Saturno collocato in gr.13. Aquarii, & opponebatur Jovi decurrenti in gr.21. Leonis. Iterum anno Domini 1434. mense Augusto, eadem oppositio magna fuit, sed in extremo Aquarii & Leonis: occuparuntq; tunc Sol, Luna, Jupiter, Mars, & Mercurius Leonem. Huic oppositioni magnæ accessit quoq; Cometa ingens, & valde horrenda Eclipsis Solis, quæ fuit anno Domini 1433. die 17. Junii, in gr.5. Cancri, & vires suas effudit in annum sequentem. Eo tempore Veneti, Florentini, ac Dux Mediolanensis, facta inter se pace, omnem belli vim in Eugenium Papam converterunt, qui sibi fuga consulere coactus fuit. Habebatur tum Concilium Basileæ, in quo Pontifex Romanus Bohemis sacramenti usum sub utraq; specie permisit. Verùm hi deinde inter se discordes ad arma venerunt. Taboritis à nobilibus cæsis, reditus patefit Sigismundo in Bohemiam, qui honorificè exceptus Pragæ, regnum deinde quamdiu vivit, possidet. Sigismundo vita functo, creatus est Cæsar Albertus Dux Austriæ, ejus nominis Secundus, anno Domini 1438. qui paulò post quoq; Hungariæ & Bohemiæ regnum adeptus est. Sic ergo hic unus, brevi temporis intervallo, tribus coronis ornatus fuit, quod nemini contigit ante tuam ætatem, Maximiliane Rex serenissime, qui minori etiam temporis spacio, summo omnium ordinũ consensu ac voluntate, in eadem illa tria regna coooptatus es. Quod sine singulari Dei providentia evenire non potuit, & res in se magnum mysterium habet. Sed idem Albertus Cæsar non diu regnavit. Nam post annum unum, & menses octo, cùm ad summum fastigium dignitatis ascendisset, migravit è vita, fragilitatem rerum humanarum deplorans, relicto filio posthumo Ladislao.

Cometa.

Eclipsis Solis in Cancro.

Præcessit mortem illius Eclipsis Solis, in gr.5. Libræ, quod signum Zodiaci Austriæ præest. Tetamen, Maximiliane Rex

Eclipsis Solis in Libra. NB.

Inclyte, cùm in tua geneſi habeas loca Hylegialia ſatis fortia & benè conſtituta, ſperamus fore longæviorem. Quod ut Deus Opt. Max. tibi largiatur, ardentiſſimis votis opto. Defuncto Alberto, communi ſuffragio principum electorum, deſignatus eſt Fridericus III. Archidux Auſtriæ, anno Domini 1440. Ivit Hieroſolymam antequam gubernationem imperii ſuſciperet. Electo Friderico, Georgius Podiebradius Baro, tanquam Ladiſlai pueri tutor, Bohemiam rexit: inclaruit tunc rebus geſtis in Hungaria Johannes Hunniades, cui ſimiliter tutorio nomine illius regni gubernatio commiſſa fuit. Is anno Domini 1443. inſigni clade Amurathem Turcarum Regem affecit.

Cæterùm ſub hoc Friderico III. tres conjunctiones & oppoſitiones magnæ ſuperiorum Planetarum acciderunt. Prima fuit anno Domini 1444. Menſe enim Julio congreſſi ſunt Saturnus & Jupiter in gr. 12. Cancri: anno verò ſequente, qui fuit à nato Chriſto 1445. menſe Auguſto, Mars applicuit ſe Saturno conſtituto in gr. 27. Cancri. Intervenit ei conjunctioni quoque Cometa circa ſolſtitium æſtivum. Tunc Ludovicus Delphinus exercitum triginta millium in Helvetios duxit. Ladiſlaus Rex Poloniæ & Hungariæ à Turcis cum exercitu oppreſſus eſt. Poſtea anno Domini 1446. Fridericus Helvetiis bellum indixit, cui civitates Imperii auxilia denegarunt. Item Turci Græcorum ad viginti duo millia trucidarunt. Apud Dordracum mare eruptionem fecit, & perdidit oppida, vicos, multaq; millia hominum ac pecorum. Ac vigente conjunctione hac magna, ecce contigit defectio Solis peſtifera, anno Domini 1448. die 29. Auguſti, in gr. 15. Virginis, non procul à corpore Saturni di[illegible]ns, cujus operationes ad biennium duraverunt. Eo tempore bellum acre fuit inter Albertum Marchionem Brandeburgenſem, Germanicum Achillem cognominatum, & inter civitates imperiales: Noribergenſes ab eo octies victi ſunt:

Conjunctio in Cancro.

Cometa.

Eclipſis Solis in Virgine.

multæ

multæ utrinque cædes, rapinæ, incendia, depopulationesq; factæ. Et paulò post, supervenientealia Eclipsi Solis, quæ potissimùm effectus suos in annum Domini 1450. retulit, ortum est bellum inter Ducem Saxoniæ, ac Marchionem Brandenburgensem. *Eclipsis Solis.*

Anno Domini 1452. die 11. Decembris, contigit Eclipsis Solis, maximè apud Orientales populos, in gr. 30. Sagittarii, effectusq; ejus mox inceperunt, ac duob. ferè sequentibus annis sævierunt. Ideò tunc Constantinopolis à Mahumete tyranno Turcico capta est, quæ inde à Constantini Magni temporibus fuerat altera Imperii sedes. Item Hungari & Bohemi Fridericum Imperatorem in nova Civitate Austriæ obsederunt, donec eorum Regem Ladislaum à se dimisit. Cæterùm prima Oppositio magna superiorum Planetarum, imperante Friderico, facta est anno Domini 1454. mense Majo. Saturnus enim ex gr. 7. Scorpionis diametros radios suos offudit Jovi, occupanti tunc gr. 7. Tauri: ac deinde statim in Julio Mars opponebatur Saturno tergoversanti in gr. 6. Scorpii posito, conjungebaturq; Jovi transeunti gr. 20. Tauri. Eo tempore Fridericus Dux Brunsuicensis ac Luneburgensis bello captus est ab Episcopo Colonienſi. Anno altero pòst, tumultus in Anglia excitatus est. Richardus enim Princeps Eboracensis regnum affectans, Henricum Angliæ Regem oppugnavit, quem dolo cepit, & quosdam ex proceribus necavit. Tandem Richardus ipse à familiaribus Regis Henrici captivi obtruncatus est. Eodem tempore Cracovia, Poloniæ caput, incendio corruit. Tertio anno post illam Oppositionem magnam, prodigia varia extiterunt, Cometæq; duo apparuerunt: alter quidem in Cancro, alter verò in Piscibus. Tuncq; Italia armis laboravit Hispanicis, & pestilentia invaluit. Necita diu pòst Ladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ, Alberti II. Imperatoris filius. ùm se *Eclipsis Solis in Sagittario.* *Oppositio in Scorpione & Tauro.* *Cometa duo.*

Pragæ ad nuptias Reginæ Galliæ præpararet, repentè extinctus est in ipso flore juventutis, utpote annorum 19. adolescens pulcherrimus. Ei statim anno Domini 1458. in regno Bohemiæ suffectus est Georgius Podiebradius Baro, qui antea tutor Ladislai fuerat: in regno verò Hungariæ Matthias Hunniades successit, qui è carcere ad regiam dignitatem protractus est. Tanta fortunæ vis est, seu divinæ providentiæ potius benignitas, ut humilem ex pulvere erigat, & celsum collocet cum Principibus populi sui, &c. ut regius ille Psalmographus ait.

Eclipsis Solis in Leone.

Anno Domini 1460. die 18. Julii, mane, accidit Eclipsis Solis horrenda, in gr. 5. Leonis, cui Mars in principio Cancri accessit, elevatus supra locum Eclipsis versus medium cœli. Hujus Eclipsis effectus pernicioſi statim grassari cœperunt, qui integro biennio, & amplius duraverunt. Et tunc Fridericus Imperator bellum movit contra Ludovicum Bavarum, Alberto Marchione ductore. Neq; verò eo tempore graves dissensiones fuerunt inter seculares ordinis Principes tantùm, verùm etiam inter Ecclesiasticos proceres. Nam Papa Archiepiscopum Moguntinum, qui ex familia Isenbergica fuit, ab officio deposuit, atque ei Comitem Nassoviensem substituit, quæ res bellum peperit. Sævientibus porrò adhuc effectibus malignis prædictæ Eclipsis solaris anno Domini 1462. Fridericus Palatinus Rheni, Septemvir, studens Isenbergico, non procul ab oppido Bruchsel, confluxit cum nonnullis Principibus, ubi duo Comites, unus de Helffenstein, alter de Salm, cum nõnullis aliis equestris ordinis bellicosis viris occubuerunt. Capti sunt Episcopus Metensis, Carolus Marchio Badensis, & Ulricus Comes Wirtenbergensis, cumq; his permagna nobilitas, qui omnes in triumpho ducti sunt in arcem Heydelbergensem, ibique tantisper detenti, dum victor ab eis, quod voluit, extorsit. Tum quoque Fridericus Imp. machinatione fratris Alberti secundò

obses-

obsessus à civibus in arce Viennensi, & à Georgio Rege Bohemiæ liberatus fuit. Eodem tempore Cracovia rursum incendio afflicta: pręliumq; factum apud Putzgau, post quod res Polonorum crescere, & Cruciferorum minui cœperunt. Secunda Conjunctio magna superiorum Planetarum sub Friderico III. Imperatore, contigit anno Domini 1464. mense Aprili, quo Saturnus & Jupiter gr. 6. Piscium occuparunt. *Conjunctio in Piscibus.*

Atq; sequente anno Domini 1465. Mars coïvit cum Saturno in gr. 15. Piscium. Mox post hanc Conjunctionem magnam, bellum inter Duces Brunsuicenses, & Saxonicas civitates exarsit. Seditiones ac bella civilia Angliam turbarunt: nec non & Florentiam urbem Italiæ. Papa Georgium Podiebradium Regem Bohemiæ hæreseos cõdemnavit, ac regno exuere conatus est, substituto in ejus locum Matthia Hunniade, qui antea à Friderico Imperatore confirmatus fuit. Altero anno post, armis decertarunt Wirtenbergensis & Ebersteini Comites. Dehinc bellum Marchioni Brandenburgico cum Pomeranis fuit. Et Carolus Dux Burgundiæ Leodium expugnavit. Item Fridericus Imperator Bohemos afflixit, Pontificis impulsu. Dumq; ita validè vires suas exercuit Conjunctio illa magna, commiscuit se illi Eclipsis Solis satis tetra anno Domini 1469. die 9. Julii, mane, in gr. 26. Cancri, Marte & Saturno in Tauro decimam domum obtinentibus. Hujus Eclipsis effectus statim apparuit, & usq; ad duos sequentes annos vim suam extendit. Tum temporis Turci Pannoniam ac Stiriam invadentes, multos captivos abduxerunt. Matthias Hunniades fortunatus bellator, qui ante quinquennium diadema acceperat à Friderico Imperatore, Bohemis bellum indixit instinctu Papæ, Moraviam, Silesiam & Lusatiam eis ademit: cum Casimiro Rege Polonico bella gessit: Turcas sæpè invasit ac fudit, & complures alias gentes domuit. Item Princeps Tartarorum Russiam vasta- *Eclipsis Solis in Cancro.*

vastavit. Daniæ Rex Suecorum insidiis exceptus fuit. Bellum inter Gallum & Burgundum extitit, quod compositum est. Anno Domini 1471. cùm adhuc durarent operationes Eclipsis, multi Principes mortui sunt, inter quos etiam fuit Georgius Rex Bohemiæ, cui Uladislaus Regis Polonorum filius successit. Henricus Rex Angliæ captus est, quem Eduardus Rex in carcere jugulari jussit. Anno Domini 1473. die 27. Aprilis, mane, contigit Eclipsis Solis, in gr. 16. Tauri, cujus tempore Mars constituebatur in Ariete, & Jupiter in Sagittario, cum corde Scorpii, stella fixa Martia. Hujus anni æstate, ob siccitatem & æstum nimium, sylvæ incensæ, flumina siccata sunt, ita ut Danubius in Hungaria vadosus fuerit. Id quoq; designabat Cometa ingens anno superiori conspectus, qui signum Arietis ac Tauri percurrebat. Gubernante porrò Friderico, accidit secunda Oppositio magna superiorum Planetarum, anno Domini 1474. Nam mense Martio Saturnus in gr. 5. Cancri feriebat diametro radio Jovem possidentem gr. 5. Capricorni, quorum huic postea mense Decembri Mars conjungebatur in gr. 15. Capricorni: illi verò opponebatur in gr. 23. Cancri. Eo anno per Germaniam plurima ædificia vento maximo dejecta sunt. Carolus Dux Burgundiæ Novesium, Colonienſis Episcopi oppidum, obsedit. Sed is, cùm Fridericus Imperator collectis copiis adventaret, coactus est obsidionem solvere, ac inde discedere. Item sequente anno Domini 1475. in Januario, fulsit Cometa sub Libra: tunc quoq; fuit iterum Oppositio magna Saturni & Jovis, in grad. 22. Cancri & Capricorni, quam subsequutum est insigne incendium Cracoviæ: bellumq; exarsit, quo Carolus Dux Burgundiæ Lotharingiam occupavit. Altero anno pòst, qui fuit à nato Christo 1476. die 25. Februarii, mane, contigit Eclipsis Solis ingens in grad. 16. Piscium, ex opposito Martis retrogradi, quæ statim grassari cœpit, ac demum exacto biennio

Eclipsis Solis in Tauro.

Cometa.

Oppositio in Cancro & Capricorno.

Cometa.

Eclipsis Solis in Piscibus.

in

in effectibus suis malignis cessavit. Sed anno Domini 1477. omnium maximè vis ejus apparuit, quam etiam cum Cometa superiore, & oppositione illa magna conjunxit. Unde propter triplicem testimoniorum consensam calamitates creverunt. Tunc ergo suscepta est expeditio à Carolo Duce Burgundiæ contra Helvetios, qua Lausannam & oppidum Gransen cepit: paulò post victus ab iisdem ægrè vitam servavit. Rhenatus verò Princeps Lotharingiæ, injuriarum memor, se hostibus Caroli conjunxit. Hinc denuò pugna gravissima extitit, in qua Carolus strenuè pugnans, unà cum suo exercitu occubuit. Numerus occisorum Burgundionum decem & septem millium fuit, ut scribitur. Circa idem tempus Matthias Rex Hungariæ, Austriam, Stiriam, ad Bavariam usq; vastavit, & Friderico Imp. coronam Bohemiæ extorsit. Sequente anno Domini 1478. durantibus adhuc operationibus illius Cometæ, & Oppositionis magnæ, Maximilianus, Fridericifilius, cùm jure dotali Ducatum Burgundiæ occupasset, Ludovicus Rex Franciæ magnis copiis fines Burgundiæ invasit, ubi viginti millia hominũ amisit. Turci totam Carinthiam depopulati sunt. Exhibuit tunc etiam effectus suos Eclipsis Solis, quæ facta est anno Domini 1477. die 13. Februarii, vesperi, in gr. 5. Piscium, Marte ac Jove post locum Eclipsis descendentibus. Ac vix expirantibus his effectibus solaribus, rursus alii novi proruperunt, extendentes se potissimùm in annum Domini 1479. integrum, cum sequente anno dimidio. Sed ii processerunt ab Eclipsi Solis, quæ evenit anno Domini 1478. die 29. Julii, post meridiem, in gradu 15. Leonis. Quo tempore Moscoviæ Dux amplissimam urbem Novogradium cepit. Item Turcæ post expugnationem Rhodi, Apuliam & Calabriam classe invaserunt. Deinde ubi & hujus Eclipsis vis deferbuit, statim aliæ recentes successerunt, dependentes ab Eclipsi Solis, quæ fuit anno Domini 1479. die 13. De-

Eclipsis Solis in Piscibus.

Eclipsis Solis in Leone.

Eclipsis Solis in Capricorno.

Decembris, post meridiem, in gr. 1. Capricorni, Saturno ac Marte in Libra versantibus. Veruntamen operationes ejus evidenter apparuerunt anno Domini 1481. & 1482. Tunc tyrannus Mahumetus veneno periit, cui filius primogenitus Bajazetus successit. Maxima fames ac pestis in Suevia. Maria, conjunx Maximiliani, inter venandum ex equo lapsa decessit. Eodem anno Domini 1482. superioris Eclipsis viribus adhuc calescentibus, contigit Eclipsis Solis, die 17. Maji, vesperi, in gr. 6. Geminorum. Sed ea effectus suos in annum Domini 1483. & 1484. retulit. Quo tempore Casimirus, Regis Polonici filius, Vilnæ fatis concessit. Rhenatus Princeps Lotharingiæ, spe obtinendæ Apuliæ, bellum in Italia excitavit, quod deficientibus viribus ultrò deseruit. Richardus Dux Cloceſtrius, per fraudem regnum Angliæ occupavit. Ludovicus Rex Franciæ migravit è vita, relicto post se Carolo. Hic postea duxit in uxorem Annam, Britanniæ Armoricæ Principem, quam Maximiliano desponsatam violenter præripuit. Sub finem anni Domini 1484. cùm summa rerum esset penes Fridericum III. accidit tertia Conjunctio magna superiorum Planetarum, in gr. 25. Scorpii. Tunc Henricus Richemondiæ Comes regnum Angliæ auxilio Caroli Regis Galliæ occupavit. Postea sequutum est bellum, quo Christophorus & Albertus Bavariæ Duces, de paterno regno dimicarunt. Item Matthias Rex Hungarię, postquam sensisset sibi Fridericum Imperatorē adversari, facta cum Turcis pace, Viennam Austriæ expugnavit, ipsumq; Imperatorem finibus suis ejecit. Nec ita diu post Conjunctionem illam magnam, fuit Eclipsis Solis valde stupenda, in grad. 6. Arietis, quæ multa cumulavit mala: qua ferveſcente anno Domini 1486. & 1487. Albertus Dux Bavariæ Ratisbonam cepit. Albertus Marchio Brandenburgicus, cui res fortiter gestæ Achillis cognomentum invenerant, obiit in comitiis. Regnum Granatæ bello flagra-

Eclipsis Solis in Geminis.

Conjunctio in Scorpione.

Eclipsis Solis in Ariete.

flagravit. Maximilianus jam Rex designatus Romanorum, Brugis dolo Gallorum obsessus ac captus est: brevi tamen virtute patris liberatus. Hæc exasperavit etiam alia Eclipsis Solis, in gr.25.Piscium,anno Domini 1486.die 6. Martii,cujus operationes statim effervescere cœperunt, extenderuntq; se usq; in finem sequentis anni.Etsi autem circa hoc tempus plures Eclipses Solis virulentæ evenerunt: tamen id remedii illis accessit, quòd maleficorum Planetarum præsentia, & è directo objecta radiatione caruerint. Anno Domini 1490. Matthias Rex Hungariæ bellicosissimus,apoplexia oppressus est Viennæ,cujus locum subivit Uladislaus Rex Bohemiæ. Maximilianus verò, Friderici filius,totam Austriam patri celeriter restituit. Sæviebant tunc aliqua ex parte effectus Eclipsis solaris,quæ ante duos annos cum dimidio facta est, circa principium Octavæ domus,in gr.6.Leonis. Qui situs juxta regulam Astrologicam denunciavit mortẽ viro cuipiam magnanimo, ejusq; regni divisionem. Anno Domini 1491.Sol defecit in 27.gradu Tauri, gubernatrice ejus Venere Arietem obtinente, ubi detrimentum patitur. Effectus toto biennio, & amplius duraverunt. Pecudes & armenta passim contabuerunt. Civitates Imperiales castra posuerunt ad Licum fluvium, ac Bavariæ Ducem Ratisbonam in integrum restituere compulerunt. Alphonsus Rex Portugalliæ lapsus cum equo periit.

Eclipsis Solis in Piscibus.

Eclipsis Solis in Leone.

Eclipsis Solis in Tauro.

Cæterùm tertia Oppositio magna superiorum Planetarum, sub Friderico III. Imperatore accidit in extremitate Aquarii & Leonis, anno Domini 1493. mense Augusto. Quo tempore vires etiã superioris Eclipsis nec dum deferbuerant. In tali constitutione syderum, ortus est morbus Gallicus in regno Neapolitano. Decessit tum etiam Fridericus Imperator, Princeps laudatissimus, quo nullus à Cæsare Augusto Imperium diutius rexerat:nam annis 53.mensibus 5.regnavit.Et successit

Oppositio in Aquario & Leone, deinde in Piscibus & Virgine.

cessit filius Maximilianus, qui jam antea anno Domini 1486. in Regem Romanorum ab Imperii proceribus cooptatus fuerat. Sequente anno Domini 1494. mense Januario & Februario, iterum contigit Oppositio magna superiorũ Planetarum in Piscibus & Virgine. Huic confusæ sunt operationes noxiæ Eclipsis Solis factæ anno Domini 1493. in gr. 27. Libræ, quæ usq; in autumnum anni 1496. pertinuerunt. Circa hoc tempus incendio rursus deflagravit Cracovia: multi clarissimi viri obierunt. Carolus VIII. Rex Franciæ exercitum duxit per Italiam, profligatoque Alphonso Rege Apuliæ, qui paulò post repentina morte interiit, Campaniam & Neapolin occupavit. Sed in reditu à Venetis & Mediolanensibus bello implicatus est: quod Neapolitanis defectionis causam præbuit. Strages Galiorum ingens apud Salinas Burgundiæ à Germanis facta. Anno Domini 1497. vigente adhuc Oppositione illa magna, Albertus Rex Poloniæ à Walachis & Turcis gravẽ cladem accepit. Stiria & Carinthia à Turcis duriter afflicta. Anno Domini 1498. & 1499. quamvis effectus suos produxerit exigua Eclipsis Solis, in gr. 15. Leonis facta: tamen ea ob utriusq; malefici Planetæ tetragonum aspectum ex angulo Horizontis ac imi cœli, robur ad nocendum habuit. Tunc ergo Carolus VIII. Rex Gallorum è vita discessit, quem in regni administratione Ludovicus Dux Aurelianensis jure sanguinis sequutus est. Eberhardus junior Princeps Wirtenbergensis, deserens Ducatũ suum, Ulmam profugit: cujus patruus Eberhardus, cognomento Barbatus, vir præstans, & primus ex ea familia Dux, paulò ante obierat. Tartari & Walachi Russiam invaserunt. Turci Italiam armis infestarunt, gerentes bellum cum Venetis. Maximilianus Cæsar expeditionem contra Helvetios instituit. Ludovicus XII. Rex Galliæ, Mediolanum invadens, repulsus est.

Eclipsis Solis in Libra.

Eclipsis Solis in Leone.

Cometa.

Anno Domini 1500. Cometa in Septentrione sub signo Capri-

Capricorni apparuit. Ei mox succeſſit vaſtatio in Polonia à Tartaris: fames in Suevia: deinde peſtis per totã Germaniam: expugnatio Neapolis per Gallos: internecinum odium Brandenburgicorũ & Noribergenſium multo ſanguine incruduit ductu Caſimiri: rebellio ruſticorum in diœcæſi Spirenſi contra Epiſcopum ac Canonicos.

Anno Domini 1502. contigit Eclipſis Solis horrenda, in gr. 17. Libræ, cujus domina Venus in ſua dejectione ponebatur, & Mars circumdabat locum Eclipſis corpore ſuo. Quod ominoſum fuit. Cùm igitur Eclipſis illa vires ſuas exercuiſſet: id quod factum eſt duobus annis ſequentibus, utpote anno Domini 1503. & 1504. plurimæ ac graves calamitates extiterunt. Maximè verò anno Domini 1503. multi illuſtres viri, qui ad gubernacula Reipublicæ ſederant, mortui ſunt, nimirum Pius III. Pontifex Romanus, cui ſuffectus eſt Julius II. militiæ quàm ſacerdotio aptior: Archiepiſcopus Trevirorum ex familia Badenſi: Epiſcopus Wormatienſis Johannes Dalburgius, vir doctrina & ſapientia præſtans: item Georgius Dux Bavariæ, cognomento Dives, relicta immani pecunia Landeshuti. Altero anno, qui fuit à nativitate Chriſti 1504. bellum Bavaricũ exarſit, idq; ob hæreditatem à Duce Georgio defuncto relictam, de qua inter ſe certarunt Rupertus Palatinus Rheni, & Albertus Bavariæ Princeps, non ſine maximo Germaniæ malo. Victor tandem evaſit Albertus auxilio Maximiliani Cæſaris, qui Bohemos prope Ratiſbonam fudit. De Palatinatu hoc bello multa fuerunt avulſa, quæ in poteſtatem Ducis Wirtenbergenſis, Noribergenſium & aliorum pervenerunt.

Eclipſis Solis in Libra.

Ac dum hoc modo armis perſtrepunt omnia, propter præmiſſam Eclipſin Solis, ecce ſupervenit Conjunctio magna ſuperiorum Planetarum in Cancro, quod ſignum utriq; malefico infortunatum eſt. Quæ conſtellationes, nihil niſi hoſtile,

Conjunctio in Cancro.

triſte ac funeſtum portendere potuerunt. In id tempus quoq; incidit mors Ruperti, quæ ex dolore animi obveniſſe putatur, quòd ſuſceptum bellum nimis infeliciter ceſſiſſet, quam mox uxor vidua morbo conſumpta ſequuta eſt. Hoc par conjugum reliquit duos filios parvulos, Otthanricum & Philippum, quorum uterque ætate provectus ſine liberis deceſſit: Otthanrico tamen prius Electoratus dignitatem adepto. Paulò poſt clauſit extremum diem Epiſcopus Spirenſis. Sequente anno Domini 1505. cùm ſolius Conjunctionis magnæ vires ſævirent, obiit Archiepiſcopus Moguntinus, è familia Comitum Hennebergenſium. Et ſic Eclipſis Solis, & conjunctio illa magna, multos Principes tum politicos, tum Eccleſiaſticos abſumpſit. Eodem anno Maximilianus Cæſar, cùm Philippum Electorem Palatinum, defuncti Ruperti patrem, in gratiam recepiſſet, bellumq; Bavaricum compoſitum eſſet, deſcendit navigio in Geldriam, ejusq; Ducem rebellantẽ armis coërcuit. Anno Domini 1506. caleſcente adhuc fortiter conjunctione illa magna, Maximilianus Cæſar movit expeditionẽ in Hungaros contumaces, quos exercitu domuit, ac capto Poſonio, eos in ſuas partes retraxit. Ludovicus XII. Rex Galliæ rupto fœdere Inſubriam invaſit.

Cometa. Cometa fulſit menſe Auguſto, ſignum Leonis ac Virginis permeans, quem mox menſe Septembri ſecuta eſt mors Philippi Regis Hiſpaniarum, Ducis Burgundiæ & Brabantiæ, Maximiliani Cæſaris filii, qui procreavit Carolum & Ferdinandũ Cæſares. In annum Domini 1507. multiplices maligni effectus inciderunt, quorum alii ab antedicta conjunctione magna: alii à Cometa nuper viſo: alii ab Eclipſi Solis, quæ ſuperiori anno, in gr. 7. Leonis accidit, dimanarunt. Etſi verò hæc Eclipſis parva fuit: tamen ſtatum ejus valde exacerbavit Saturnus loco Eclipſis accedens, Marsq; in ſuo detrimẽto decimam domum obtinens. Tunc ergo initia belli extiterunt, quod Maximilia-

Eclipſis Solis in Leone.

nus

nus Cæsar cum Venetis & Gallis gessit. Carolus Dux Geldriæ, commotus Ludovici Regis Galliarum clandestina instigatione, Brabantiam populabatur. Tempestates ac grandines horrendæ à ventis inusitatis excitatæ fuerunt. Sigismundus Rex Poloniæ cum Duce Moscoviæ manus conseruit. Annis quatuor post dictam conjunctionem magnam: annis verò duobus post Cometam illum conspectum, mortuus est Philippus Palatinus Princeps Elector. Post eum statim Albertus Dux Bavariæ, cujus mentio facta est suprà, affinis Cæsaris, fatis concessit. Imperator, Papa & Gallus, ex fœdere icto Cameraci, bellum Venetis inferunt, quod decennale fuit. Principio hujus belli Julius II. Pontifex Romanus, Ravennam, & alias per agrum Picenum civitates, Venetis ademit, sed non sine multo suorum sanguine. Ludovicus quoq; Rex Gallorum, rebus suis prospiciens, non pauca per Insubriam loca obtinuit, quæ olim Veneti vi ad se pertraxerant. Neq; feriabatur interea Maximilianus, qui aliquoties fusis fugatisq; Venetis, Tergestum, Veronam, Patavium, & alias quasdam Venetorum benè munitas urbes, summa vi expugnavit. Sed has facilè postea recuperarunt Veneti, qui in omnes occasiones intenti, magis assiduitate & versutia vincunt, quàm achilleo more pugnantes.

Oppositio in Scorpione & Tauro.

Anno Domini 1513. accidit oppositio magna superiorum Planetarum in Scorpione & Tauro. Tunc exorta est Coloniæ seditio civium contra Senatum, sicut & antea Spiræ & Erphordiæ contigerat. Item aliquot magnates è vita migrarunt, utpote Episcopus Spirensis: Papa Julius II. cui Leo X. successit: Johannes Sueciæ & Norvegiæ Rex, Archiepiscopus Magdeburgensis, ex familia Saxonica. Maximiliani Cæsaris exiguus exercitus non procul à Vicentia, ductore Fronspergio, maximas Venetorum copias delevit. Imperator Gallos Longobardia ejecit: mox adversus eosdem vastantes Picardicam expeditionem

nem suscepit, ubi Cæsar conjunctis cum Henrico Angliæ Rege viribus, plurimos hostium occidit, multos ex nobilitate cepit. Imperator Helvetios conduxit ad recuperandam Burgundiam, & expellendos Gallos: sed nequaquam avitæ glorię memores fuerunt tum Helvetii.

Eclipsis Solis in Piscibus.

Eodem anno contigit Eclipsis Solis in gradu 27. Piscium, Marte in Tauro decimam domum occupante, ac sauciato oppositis radiis Saturni. Verùm effectus ejus per integrum annum Domini 1514. atq; maximam partem anni Domini 1515. sævierunt. Circa hoc igitur tempus fuit mutua quædam commixtio inter Oppositionem magnam, & Eclipsin Solis, quæ calamitates mortalium auxit. Priori anno factio in Suevia Ducem Wirtenbergicum Ulricum exagitavit. Georgius Dux Saxoniæ Frisiam hostiliter invasit, & oppidum Tammen diripuit. Gravis controversia nata est inter fratres germanos, Wilhelmum & Ludovicum, Bavariæ Principes, ex patris Alberti testamento. Posteriori anno Ludovicus Rex Galliæ diem obiit, in cujus locum Franciscus I. substitutus est, qui postea in Septembri de Helvetiis maximam victoriam reportavit. Franciscus à Sickingen, nobilis Germanus, Borbetomagum Vangionum civitatem obsedit. Archiepiscopus Colonienſis fatis concessit. Maximæ inundationes fuerunt, quæ perdiderunt passim ædificia, agros, arbores, plantas, & terræ fructus. Denunciavit hoc malum Saturnus in Scorpione, signo Aqueo, quartam domum tempore Eclipsis tenens, infectusque à Marte per oppositum aspectum. Quòd autem tum temporis nonnulli magnatum mortui sunt, effecit id Mars in suo detrimento medium cœli possidens. Sed plures haud dubiè necasset, si ita constitutus vendicasset sibi etiam dominium in loco Eclipsis, ut experientia sæpè docuit. Triennio pòst oppositionem illam magnam, Mediolanum cum Duce à Gallis captum est. Deinde Hollandiam

diam mirum in modum Geldri afflixerunt. Uladislaus Rex Ungariæ & Bohemiæ obiit, cui Ludovicus filius, puer undecim annorum successit. Circa hæc tempora, durante nimirum Oppositione illa magna in signo aqueo ac terreo, Deus Opt. Max. nos eximmensis tenebris, & idolorum cultu, quem Pontificum avaritia invexerat, per excellentem virum, D. Martinum Lutherum in clarissimam Evangelii sui lucem revocavit.

Temporum Iohannis Hussi, & Lutheri comparatio.

Eadem Oppositio magna superiorum Planetarum, in signo aqueo ac terreo fuit ante centum annos, cùm Johannes Hussus confessionem suæ fidei imperterritus cunctis ederet. Hoc tantùm discrimen inter eas duas Oppositiones consurgit, quòd prior illa acciderit in signis mobilibus, omnibusq; tribus superioribus Planetis pessimè affectis, & transeuntibus suas dejectiones ac detrimenta. Hinc est, quòd licet Hussus vera ac divinis literis consentanea tradiderit: sensim tamen fuerit propemodum illa doctrina extincta. Hæc verò posterior Oppositio facta est in signis fixis, nullo superiorum Planetarum debilitato: imò Mars domicilium suum, Scorpionem videlicet, cum Saturno occupavit, sub quo signo Zodiaci Monarchia hæc Quarta initium sumpsit, & usque ad finem mundi perdurabit. Unde consequitur, doctrinam Lutheri fore firmam ac constantem, cujus incrementa usq; ad extremum judicium se extendant, nec in posterum, ut antea, labefactentur. Et quanquam anno Domini 1454. similis Oppositio magna Saturni & Jovis contigerit in Scorpione ac Tauro: tamen Mars Jovem potius quàm Saturnum corpore suo petiit: & major impressio Planetarum fuit in Tauro, quàm Scorpione. Hæc ideò breviter monere volui, ut hujus disciplinæ studiosi certam rationem in judicando sequantur.

Eclipsis Solis in Geminis.

Anno Domini 1518. accidit Eclipsis Solis ingens, in gr. 26. Geminorum. Hæc effectus suos exerere cœpit in fine æstatis eodem

eodem anno Domini 1518. qui quidem perseveraverunt usque ad medium autumni anni Domini 1520. In vigore igitur effectuum, Maximilianus Imperator, Princeps clementissimus, ac rebus gestis nulli superiorum secundus, vita functus est. Quod ei Eclipsis portendisse videbatur. Cùm enim origo Austriacæ familiæ sub signo Geminorum fuerit, ut suprà ostendimus, & Eclipsis illa horrenda ac pernicioſa in eo ipso signo Zodiaci cõtigerit, non potuit nisi alicui ex genere Austriaco exitio esse, eique viro insigni ac præcipuo: Marte præsertim valde potenti in supremo cœli angulo constituto. Post Maximilianum, Imperium suscepit Carolus, ejus ex filio nepos, Rex Hispaniarum, Archidux Austriæ, anno ætatis 19. Eo tempore Ulrichus Dux Wirtenbergensis, patriis agris ejectus est, à Suevici fœderis sociis, & exulavit per annos quindecim, eò quòd manus adjecisset Reutlingæ, sociali oppido. Circa hoc tempus etiam, Polonus Albertum Brandenburgicum Administratorem Prussiæ armis vexavit, & certamina varia, & periculis plena de religione fuerunt, quibus principum ac doctorum virorum animi inter se exacerbabantur. Christiernus Rex Daniæ cum Suecis prælium cruentissimũ commisit: nec ita diu pòst regno pulsus est. Extinctis autem prædictæ Eclipsis effectibus, rursus alii in-

Eclipsis Solis in Scorpione.

secuti sunt procedentes à recenti Eclipsi Solis in gr. 10. Scorpii, qui quidem inciderunt in annũ Domini 1521. integrum, & majorem partem anni Domini 1522. Priori anno bellum natum est inter Carolum V. Imperatorem, & Franciscum Galliarum Regem. Cæsariani Gallis extorserunt Mediolanum. Leo X. Pontifex Romanus è vita migravit, cui suffectus est Hadrianus VI. Batavus, præceptor quondam Caroli V. Cæsaris. Solymannus nuper factus Turcarum Imperator, Ludovico Hungariæ ac Bohemiæ Regi bellum intulit: oppida plurima & castella occupavit: Biclegradum, quæ Alba Græca est, in confinibus Hun-

Hungariæ, munitissimam urbem cepit. Atq; ita Turcis aditus patefactus in Hungariam, cum sempiterno Christiani nominis dedecore. Firmavit has significationes Mars fortissimus in Scorpione cum Jove locum Eclipsis circumdans. Posteriore anno pestis totam ferè Germaniam pervasit. Franciscus Sickingus sibi fata acceleravit, bello illato Treviris. Circa hoc tempus etiam Rhodus à Turcis capta est.

Anno Domini 1524. mense Februario, accidit Conjunctio magna superiorum Planetarum in Piscibus, quibus tum temporis etiam omnes reliqui Planetæ accesserunt. Res fuit prorsus mira, nec evidentia caruit eventus. Statim primo ejus anno magna aquarum vis ubiq; inundavit. Gallus Insubriam populatus est. Altero anno, qui numerabatur à nato Christo 1525. Cæsariani congressi cum Gallico exercitu ad Papiam, ubi cæsis militibus, Rex captus, & in Hispaniam ad Cæsarem abductus est. Fridericus Dux Saxoniæ, Septemvir, admirandæ sapientiæ princeps, debita naturæ persolvit. Tumultus Rusticanus extitit in Germania, quo intra menses quatuor plus quàm centum millia hominum sontium pariter & innocentium perierunt: sedatus est tandem robore Suevici fœderis, & conjunctione Principum. *Conjunctio in Piscibus maxima.*

Tertio anno, qui fuit à nativitate Christi 1526. Ludovicus Rex Hungariæ & Bohemię, Turcis obviam progressus, eorum multitudine circumventus, interiit. Huic postea in utrumque regnum successit affinis Ferdinandus, Archidux Austriæ, Caroli V. frater. Facta est ingens conspiratio Gallorum, Anglorum, Pontificis, Venetorum, & omnium Insubrię civitatum, in Carolum Imperatorem, quibus Georgius Fronspergius, per vetusto genere ortus, qui corporis robore, magnitudine animi, consilio ac rei militaris scientia, cum summis antiquorum

Ducibus facilè comparari poteſt, unà cum ceteris, qui Cæſarianas partes ſequebantur, fortiter reſtitit.

Quarto anno poſt, qui numerabatur à Chriſto nato 1527. controverſia oritur Ferdinando Regi Bohemiæ cum Johanne Weywoda Tranſylvano de Hungariæ regno, quorum hunc Turca in fidem ac clientelam ſuam recepit, tradita ei Buda: illum verò bello petiit. Circa quod tempus Roma ab exercitu Imperatoris Caroli, Duce Borbonio, capta & direpta eſt, oppreſſo Borbonio in primo impetu: Papa Clemens, ejus nominis Septimus, obſidione cinctus in arce Sandangliana, ubi nullam elabendi ſpem animadvertit, dedidit ſe Cæſarianis. Caſimirus Marchio Brandenburgenſis in expeditione Hungarica fato fungitur. Sicambri Hollandiam deprædati ſunt. Cometa ingens apparuit juba horribili, poſt quem iterum cognita eſt ingens Turcarum immanitas in Hungaria: multaq; cæde hinc inde graſſatum. Anno Domini 1528. cùm & Cometæ & conjunctionis illius magnæ virus diffunderetur, Carolus Geldriæ Dux, amiſſis multis oppidis, ad faciendam deditionem compulſus, regione Trajectenſi ceſſit Imperatori. Fame in Inſubria & Venetia multi enecati ſunt. Philippus Cattorum Princeps, & Johannes Dux Saxoniæ Elector, indixerunt bellum Moguntino, Herbipolenſi ac Bambergenſi Epiſcopis, quod mox compoſitione facta, in unius caput redundavit. Anno Domini 1529. operante adhuc efficaciter Cometa illo, atque jam poſita conjunctione magna ſuperiorum Planetarum, diſſidium de religione in Helvetia occaſionem belli civilis præbuit. Turci Viennam Auſtriæ acerrimè oppugnarunt, factisque diverſa in loca excurſionibus, plurimos Chriſtianos tum occiderunt, tum captivos abduxerunt. Fames Noribergæ maxima fuit. Sudor Anglicus exortus eſt, genus morbi antea incognitum. Tyberis

Cometa.

Romæ,

Romæ, non sine maximo detrimento, exundavit. Oceanus magnam partem Hollandiæ, Selandiæ ac Flandriæ absorpsit.

Anno Domini 1530. die 29. Martii, mane, accidit Eclipsis Solis tetra in gr. 18. Arietis, gubernatore ejus Marte constituto prope oculum Tauri, stellam fixam violentam ac fervidam. Hæc mox effectus suos sparsit, qui manarunt usq; ad initium veris anni Domini 1532. In principio effectuum, Florentia pulcherrima Hetruriæ civitas, ab exercitu Imperatoris & Pontificis, post diuturnam obsidionem capta, servire didicit. In medio effectuum, motu terræ concussa est ferè tota Lusitania, quo Ulyssibonæ corruerunt templa omnia, ac domus circiter mille quingentæ: hic motus perduravit diebus octo, quem deinceps pestis insecuta est. Archiepiscopus Trevirensis Richardus à Greyffeclo obiit, cujus authoritas inter Imperii Septemviros, propter doctrinam, eloquentiam & rerum usum maxima fuit. Circa finem effectuum, illuxit Cometa, currens per Cancrum, Leonem, Virginem ac Libram, qui maximos motus & plurima mala excitavit. Nam apud Helvetios religionis causa bellum intestinū peperit, in quo Zwinglius signa secutus cecidit.

Eclipsis Solis in Ariete.

Cometa.

Sequente anno Domini 1532. cùm Cometa ille in summa operatione esset, Christiernus Rex Daniæ, jam decem annos exul, comparata classe ex Belgico solvit, amissa recuperaturus: sed captus mari, custodiæ traditus est: regno potitus est patruus ipsius, Fridericus Holsatiæ Dux. Eodemq; ferè tempore, Christierni filius adolescens, qui in Cæsaris avunculi aula sustentatus fuit, naturæ concessit. Postea mortuus est quoq; Johannes Dux Saxoniæ Elector, pius ac moderatus Princeps. Ferdinandus Rex Hungariæ ac Bohemiæ, dum superiori anno Aquisgrani à Principibus Rex Romanorum creatur, Turca maximam rei gerendæ opportunitatem adeptus, expeditionem in Pannoniam suscipit, & cùm ad Germaniæ terminos ventum

esset, Guntzium aggreditur, sed frustrà. Inde divisis copiis, hinc Austriam Lincium usq; depopulatur: illinc Stiriæ fines ingressus, longè lateq; ferro & igne omnia devastat. Sed mox animadversis tantis Christianorum copiis, tamq; ad confligendum paratis, retrò ultra Sauum abiit.

Cometa.

Anno Domini 1533. in fine Julii, & in Augusto, apparuit rursus ingens Cometa extra Zodiacum, non procul à Perseo, distringens caudam longam in occasum brumalem. Post eum sequente anno Domini 1534. statim mense Februario, accidit Oppositio magna superiorum Planetarum, Saturni videlicet ac Jovis in Cancro & Capricorno. Sed elapsis 3. mensibus, Mars jungebatur Saturno tantùm in Cancro: Jovi verò opponebatur in alio signo. Unde fuit mutila Oppositio, non ex iisdem signis, & denunciabat novum genus doctrinæ ac religionis: idq; imperfectum ac minus solidum, quale furor Anabaptistarum sparsit. Cumq; sub principium anni Domini 1534. Oppositio illa commisceret se antedicto Cometæ, haud leves calamitates evenerunt. Tunc facta est insignis mutatio per Angliam. Henricus enim VIII. repudiata prima conjuge, atque altera ducta, Pontificis jugum excussit, ademptis ei vectigalibus, quorum tertiam partem totius regni antea perceperat Pontifex. Primo vere Philippus Landgravius Hassiæ militem conscripsit, quo Uldaricum Wirtenbergicum restituit, commisso prius acri prælio prope Lauffenum oppidum, cum Ferdinandi Regis copiis, quarum Dux magnanimus Princeps, Philippus Palatinus, Rupertifilius, tormento bellico calcaneum pedis amisit. Item exundationes maximæ in Polonia fuerunt, cæteris per Europam regionibus arescentibus. Friderico Rege Daniæ defuncto, regnum variis bellis æstuavit. Christianus Holsatiensis Daniæ regnum adeptus, cum Lubecensibus & Aldenburgensibus Comitibus bellum gessit. Eodem anno Domini 1534. mense

Oppositio in Cancro & Capricorno.

mense Januario, fuit Eclipsis Solis in gr.5. Aquarii, gubernatore ejus Saturno pessimè affecto. Hæc autem vim suam exerere tardius cepit, nimirum circa principium autumni prædicti anni Domini 1534. quam quidem diffudit usq; in medium æstatis anni Domini 1536. In principio operationum hujus Eclipsis, quibus accesserunt vires Oppositionis & Cometæ, circumsessa fuit Imperii civitas Westphaliæ Monasterium, in qua Anabaptistæ dira patrabant. Item Clemens tum Pontifex obiit, cujus locum subiit Paulus III. Manantibus his effectibus anno Domini 1535. Monasterium captum est, & impio Anabaptistarum grege extincto, qui sibi inter eos astu sumpserat imperiū, insigni supplicio affectus est. In fine effectuum, qui ad annum Domini 1536. relati sunt, bellum exarsit inter Helvetios, & Carolum Allobrogum Principem. Bernates, quicquid ipsorum rebus videbatur opportunum, occuparunt. Faciebant idem alii quidam Helvetiorum pagi, Allobrogibus vicini. Dumque hæc ab Helvetiis geruntur, Franciscus Rex Galliæ, accedente vere, erumpit, & Sabaudum, cui jam ante pennas inciderant Helvetii, tota sua ditione exturbat: is autem confugit ad Cæsarem. Paulò post, existentibus adhuc viribus satis vegetis Cometæ & Oppositionis magnæ, Carolus V. Imperator, collectis copiis amplissimis, per mediam Italiam in provinciam Galliæ irruit, ibiq; Marsiliam obsedit. Rex Galliæ ad Avenionem castra oppositit. Sed cùm milites Cæsariani conficerentur inedia & contagione, soluta est obsidio: Cæsarq; se Genuam avertit. Alter exercitus Imperatoris belligerabat in Veromanduis, Henrico Nassovio ductore: & is quoq; re infecta discessit. *Eclipsis Solis in Aquario.*

Cæterùm cùm superioris Eclipsis effectus penè deferbuissent, contigit alia Eclipsis Solis atra in gr.7. Cancri, Saturno supra locum Eclipsis in decima elevato, ac Leonem possidente. Ejus operationes in duos sequentes annos, puta annum Do- *Eclipsis Solis in Cancro.*

mini 1537. & 1538. emanarunt. His quoq; vires Oppositionis illius superioris magnæ aliquo modo confusæ sunt. Primo anno bellum in Picardia fuit, quo Galli & Burgundiones mutua damna, eaq; gravia acceperunt. Seditiones duę insignes Angliam turbarunt: prior excitata fuit in agro Lincolniensi: posterior in Eboracensi: quarum tamen utraq; sine multo sanguine sopita est, paucis duntaxat capitibus sublatis. Item milites plurimi Regis Ferdinandi, conducti ad resistendum hosti in Hungaria, à Catzianero Turcis proditi sunt, qui ferè omnes concisi: è Ducibus multi capti, Byzantium in miseram servitutem abducti sunt. Geldrenses Principi suo rebellarunt. Siciliam & Calabriam miserè vastavit ignis ex terra maris siccati erumpens. Romæ tonitru horrendum præter anni tempus auditum. Arx antiqua Heydelbergę de cœlo tacta, maximam civitati cladem intulit. In superiori Germania ingens, & intempestiva aquarum vis. Altero anno, qui numerabatur à Christo 1538. fulsit *Cometa.* Cometa vesperi, post occasum Solis, mense Januario, qui videbatur constitutus esse in Piscibus. Vesuvius mons hoc anno, tertiò incredibilem vim ignis evomuit. Præterea secuta est hunc Cometam mors Caroli Ducis Geldriæ. Item sequente anno Domini, obiit Johannes Princeps Juliacensis: Georgius Dux Saxoniæ, & Isabella Caroli V. Imperatoris, Lusitanici sanguinis, conjunx.

Eclipsis Solis in Tauro. Anno Domini 1539. facta est Eclipsis Solis tetra in gradu 8. Tauri, effectus suos primum in annum Domini 1540. & 1541. *Cometa.* prorogans. Statim post hanc Eclipsin apparuit iterum Cometa in Tauro situs. Secuta est eum seditio Gandavi. Sed cùm ei concurrerent sequente anno Domini 1540. effectus superioris *Eclipsis Solis in Arietę.* Eclipsis, atque etiam alterius recentis Eclipsis Solis longè maximæ, in gr. 28. Arietis factæ, æstas siccissima & calidissima extitit, adeò, ut alta flumina tuta transeuntibus vada præbuerint: me-

mediocria verò exaruerint prorsus: sylvæ à radiis solaribus accensæ conflagrarint. Pragæ in Bohemia regia cum æde primaria sumptuosi & magnifici operis igne concidit: ac multis in locis Germanię, præsertim in Saxonia, crebra incendia fuerunt. Carolus Cæsar in Gandavenses animadvertit, & seditionis auctores capite mulctavit: ablatis armis, & avitis ipsorum legibus. Johannes Weywoda Rex Hungariæ mortuus est, relicto filiolo unico, quem Isabella, Sigismundi Regis Poloniæ filia, recens ei pepererat. Anno Domini 1541. cùm adhuc Cometæ illius, & duarum præcedentium Eclipsium operationes grassarentur, Henricus Dux Saxoniæ diem suum obiit. Dum celebrarentur comitia Ratisbonæ, Ferdinandi Regis exercitus Budam oppugnavit, in qua tum erat Weywodę uxor vidua, cum filiolo & ejus tutoribus, quorum prȩcipuus fuit Georgius Monachus. Hi auxilium Turcæ imploraverunt, quod facilè obtinuerunt. Ideò nostri adventantibus maximis Turcarum copiis, obsidionem solvere coacti sunt: cumq; exercitus in fuga esset, quorundam Ducum imprudentia, ab hoste circumventus periit: Pestum & Buda in potestatem Turcarum pervenit: fuit certè miseranda clades, incussitq; Austriæ, Moraviæ ac Silesiæ non mediocrem metum. Cæsar ex Hispaniis in Aphricam cum exercitu trajecit, & Algieram appulit: sed immani maris tempestate, centum ac triginta naves amisit, fame laboravit, & summo cum periculo dimicavit. Unde tandem re infecta, coactus est afflictas exercitus reliquias reportare. Pestis in Germania, potissimùm verò ad Rhenum, serpsit.

Anno Domini 1542. durantibus adhuc effectibus illius Eclipsis Solaris, quæ in gr. 28. Arietis accidit, usq; ad finem æstatis: atq; iis quoq; supervenientibus aliis effectibus, quos Eclipsis Solis recentior in gradu 8. Virginis excitavit, bellum inter Mauritium & Johannem Fridericum Electorem, Duces Saxoniæ, *Eclipsis Solis in Virgine.*

niæ, exarsit, quod mox aliorum Principum interventu compositum est. Henricus Dux Brunsuicensis, à Johanne Friderico Electore Saxoniæ, & Philippo Landgravio Hassiæ, tota ditione sua pellitur. Expeditio ab omnibus Imperii ordinibus in Hungariam susceptа ad recuperandam Budam, qua sine ullo fructu, insigne militum robur amissum fuit, fame & contagiosa lue. Brabantia à Martino Roshemio afflicta & populata est. Bellum inter Brabantinos ac Ducem Juliacensem extitit. Franciscus Rex Galliæ, Ducatum Lutzemburgensem vastat, & in Cæsaris absentis patrimonium quinq; diversis locis impetum facit. Locustarum infinita turba Germaniam & Italiam citeriorem volando pervasit. Valde cruenta pugna inter Anglos ac Scotos commissa fuit, in qua victores Angli evaserunt: Scoti complures genere nobiles capti sunt: ob quam cladem Rex Scotiæ paulò post mœrore extinctus est. Anno Domini 1543. vigentibus adhuc viribus illius Eclipsis, quæ contigit in gr. 8. Virginis, Turcæ oppidum Quinqueccleſienſe, cum arce Strigoniam, Albamq́; Regalem ceperunt. Imperator Wilhelmum Clivensem repressit, adempto ei Ducatu Geldrię. Bellum etiam erat Regi Daniæ cum Cæsarianis Belgis, propter Christiernum Regem captivum. Cæsar compositis Geldriæ rebus, venit ingenti cum exercitu Landresium: venit etiam eodem Galliæ Rex totis viribus, sed quia jam appetebat hyems, uterq; exercitus dimissus est, Gallis tamen nonnullis in fuga à Cæsarianis militibus interfectis.

Eclipsis Solis in Aquario.

Anno Domini 1544. mense Januario, fuit Eclipsis Solis valde horrenda in gr. 14. Aquarii, dispositore ejus Saturno in Sagittario cum corde Scorpii cõstituto, cui Mars corpus suum applicavit. Lunæ quoq; tres fuerunt hoc anno Eclipses plenæ. Res nimirum prodigiosa, & quam ab aliquot seculis accidisse non invenio. Effectus autem Eclipsis Solaris inchoaverunt in

Eclipses Lunæ tres.

vere

vere, eodem anno Domini 1544. cessaveruntq; in æstate anni Domini 1546. In principio effectuum, qui inciderunt in annum Domini 1544. migravit è vita Ludovicus Palatinus Elector, Princeps pacificus. Exercitus Caroli Imperatoris, culpa Marchionis de Quassa, cæsus est in Pedemontio ad Carignanum oppidum à Gallis. Finito conventu Spiræ, Cæsar ingentem expeditionem per Lotharingiam in Galliam suscepit, in qua fuerunt Maximilianus, Ferdinandi Regis filius, Mauritius Dux Saxoniæ, Albertus Marchio Brandenburgicus, multiq; alii genere illustres. Recuperato Lucemburgo, Imperator Lutetiam versus contendens, obvia quæque expugnavit: cùm biduii itinere esset ab urbe, pax facta fuit, & dimissus exercitus. Antonius Dux Lotharingiæ tum obiit. Henricus VIII. Rex Angliæ, ingenti cum exercitu mare trajecit, ac Boloniam tormentis bellicis concussam deditione cepit.

In medio effectuum illius Eclipsis, quod accidit anno Domini 1545. contigit rursus alia Eclipsis Solis in gr. 27. Geminorum, dispositore ejus Mercurio Marti infortunatissimo juncto. Sed hæc operationes suas potissimùm in sequentem annum Domini 1546. integrum reservavit, atq; aliquid etiam potestatis de prima parte anni Domini 1547. sibi vendicavit. Qua de re postea plura dicam. *Eclipsis Solis in Geminis.*

Nunc ad superioris valde horrendæ Eclipsis solaris effectus redeo, quorùm medietas sæviit anno Domini 1545. unà cum conjunctione magna superiorũ Planetarum nuper facta in gr. 29. Scorpii. Tunc enim decessit è vita Ludovicus Dux Bavariæ: Franciscus Princeps Lotharingiæ: Elizabetha, Regina Poloniæ præstantissima matrona: N. Regina Hispaniæ, conjunx Philippi, Cæsaris nurus: Dux Aurelianus, Regis Galliarum filius: Albertus Archiepiscopus Moguntinus. Bellum Regis Franciæ cum Rege Angliæ ad Boloniam arsit. Henricus *Conjunctio in Scorpione.*

Dux Brunſuicenſis, collecto exercitu, ſua recuperaturus, captus eſt cum filio, à Philippo Landgravio Haſſię, & Ducibus Saxoniæ, Johan. Friderico, & Mauritio, qui ſe contra Brunſuicenſem milite inſtruxerant. In fine effectuū valde horrendæ illius Eclipſis, qui ſe in anni Domini 1546. majorem partem extenderunt, acceſſerunt etiam vires alterius minoris Eclipſis, item conjunctionis magnæ ſuperioris, adeò, ut tunc tria ſimul teſtimonia noxia inciderint, duo quidem ab eclipſibus ſolaribus, & unum à conjunctione magna. Quod rariſſimè uſu venire, & nō niſi inſignes mutationes portendere ſolet. Tunc ergo Concilium Tridentinum initium ſumpſit, per quod veræ religioni manifeſta pernicies creabatur. D. Martinus Lutherus puræ & ſinceræ Theologiæ inſtaurator, placidè in Domino obdormivit. Sequutum eſt bellum religionis cauſa natum in Germania, quod Schmalcaldicum appellant: in quo miſera & funeſta omnia.

Cæterùm dum Cæſar bello Schmalcaldico occupatur, incendium Mechliniam, pulchram Brabantiæ civitatem deformavit, cùm fulmen incidiſſet in turrim, in qua pulvis tormentarius conſervabatur.

Anno Domini 1547. vigente adhuc efficaciter conjunctione illa magna, & Eclipſi Solis minori, quæ facta eſt in gr. 27. Geminorum, mortua eſt Anna, Ferdinandi Regis uxor, omnibus virtutibus ornatiſſima Princeps. Boëmi contra Saxones arma capere juſſi, Regi ſuo rebellarunt. Joh. Fridericus Saxoniæ Dux, ex Suevia reducens exercitum, Lipſiam propter hyemis magnitudinem fruſtrà obſidet: ac poſtea Albertum Marchionem Brandenburgicum in prælio capit ad Rochlicium Miſnię oppidū: hinc Elector ipſe captus in acie à Cæſare. Cùm Landgravius perſuaſu quorundam Principum deprecandi cauſa ad Cæſarem veniſſet, in cuſtodia detentus eſt. Alter Cæſaris exercitus,

citus, qui Bremam obsidebat, sociarum & confœderatarum civitatum auxiliis, Alberto Mansfeldico, & Johanne Hedecco ductoribus, concisus est. Boëmos Rex Ferdinandus in suas leges confecit, sublatis aliquot rebellionis autoribus.

Hoc anno præterea duo Reges potentissimi obierunt, Franciscus I. Rex Galliæ, & Henricus VIII. Rex Angliæ. Hos non ita diu pòst Sigismundus Rex Poloniæ sequutus est. Hermannus Archiepiscopus Colonienſis ob veram religionem exosus, ab officio deponitur: cui Adolphus Comes Schauenburgus substitutus fuit. Item Angli maximo prælio Scotos vincunt, ductore Somerseto Regis avunculo, atque post eam victoriam multa per Scotiam loca occupant, longè propagatis finibus.

Sub finem anni Domini 1547. facta est Eclipsis Solis tetra in gr. 30. Scorpii, nonam domum cœli, quæ religioni attribuitur, possidens, gubernatoreq; ejus Marte unà cum Mercurio ac Venere non procul à loco Eclipsis constituto. Verùm hæc Eclipsis effectus suos distulit in sequentis anni æstatem, quos ab eo tempore usq; in annũ Domini 1549. & paulò amplius continuavit. Anno igitur Domini 1548. dum grassarentur vires hujus Eclipsis, atq; etiam conjunctionis illius magnæ, quam quadriennio ferè præcessisse diximus, promulgatum est Interim, per Carolum V. Imperatorem in Comitiis Augustanis. Hinc mutationes periculosæ, cùm in religione, tum passim in politia per Germaniam obortæ sunt, maximæq; defectiones & offendicula nata. Hispanorum aliquot cohortes interfectæ Constantiæ, cùm noctu urbem de improviso invasissent. Forma gubernationis ad Cæsaris arbitrium mutata in liberis civitatibus Sueviæ. Magna seditio per Aquitaniam propter salinas & vectigalia fuit: quemadmodum etiam antea in regno Neapolitano ob Inquisitionem fidei acciderat. Anno Domini 1549. du-

Eclipsis Solis in Scorpione.

rantibus adhuc operationibus tetræ illius Eclipsis, simulque conjunctionis magnæ, quæ ante quinquennium ferè acciderat, certamina Theologorum in Saxonia de Adiaphoris incruduerunt. Tumultus in Anglia propter rem agrariam & religionem. Tum etiam Magdeburgum, Saxoniæ civitas, proscriptum, & maximis copiis à quatuor Principibus obsessum fuit: ubi, cùm oppidani quotidie excursione facta cum hostibus præliarentur, plurimi ceciderunt. Paulus III. Pontifex mortuus est, cui successit Julius III.

Eclipsis Solis in Virgine.

Anno Domini 1551. contigit Eclipsis Solis satis magna, in gr. 17. Virginis, Marte in medio cœli supra locum Eclipsis elevato, in suoq; detrimento posito: quod valde ominosum ac portentosum fuit, juxta doctrinam superius sæpè traditam. Ea autem effectus suos exerere cœpit sequente anno Domini 1552. quos usque in finem anni Domini 1553. propagavit. Cùm igitur priori anno, qui numerabatur à Christo nato 1552. vires Eclipsis prodiissent, Transylvania ferè tota à Ferdinandi Regis militibus subjugata est. Capto per deditionem Magdeburgo, omnis belli vis in Carolum Imperatorem conversa est, facto cum Gallorum Rege fœdere: ac mox in Sueviam ducto exercitu, Augustani in fidem ac tutelam Principum accepti. Ulmenses sex dies obsessi: agri circumcirca à Marchione Brandenburgico Alberto igne vastati sunt. Mox ab eodem obsessa Noriberga, ac longè lateq; depopulatis ejus finibus, ad pacis conditiones satis iniquas compulsa fuit. Hinc Mauritius, qui caput ejus fœderis erat, itinere ad Rhetos converso, Cæsaris præsidia Erebergi in claustris Alpium oppressit, ipsumq; Oenipontem usq; insecutus est cum exercitu. Postea, rursus conjunctis copiis, Francofurtum ad Mœnum obsessum est, ubi eruptionem assiduè facientibus, qui civitatem defendebant, militibus, magna

strages

ſtrages ædita eſt. Georgius Dux Megelburgenſis, qui antea Magdeburgicos afflixerat, tormento militari interiit.

Pacificatione inter Cæſarem ac Mauritium, cæterosque ipſius ſocios facta, Mauritius exercitum duxit in Ungariam.

Albertus interea ſpretis pacis conditionibus, Oppenhemum diripit, Moguntini Epiſcopi, & Treviri ditiones latè vaſtat incendio: arces & caſtella infinito ſumptu ædificata deſtruit, & nemini ſine pecunia grandi parcit, clerum ubiq; duriter inſectatus. Ad poſtremum paucis congreſſus cum Gallorum ſatis firmo equitatu ſuperior extitit, capto ipſorum Duce Eumalio.

Dum hæc belli clades per Germaniam vagatur, Gallorum Rex Henricus ſuarum rerum ſatagit. Egreſſus enim maximo exercitu Tullum ac Virodunum, Imperii oppida, capit: inde Lotharingiam, ablegato in Galliam ejus Principe puero, occupat: & Mediomatricum urbem per fraudem ſui juris efficit, relicto ibi præſidio. Argentorato fruſtrà inhians, reducit exercitum in Ducatum Lucemburgenſem, ubi plurimum damni dedit, captis quibuſdam oppidis, exemplo Martini Roshemii, qui idem fecerat paulò ante per Campaniam, Gallorum provinciam. Sub id tempus moritur Archiepiſcopus Colonienſis Hermannus, Comes Videnſis, vir pius ac conſtans. Interea Cæſar ex Carinthia Metim petit cum exercitu numeroſiſſimo, quem hyemis injuria, fame ac lue ex majore parte amiſit, planè commutata fortuna. Circa finem hujus anni Wolradus Comes Mansfeldius, Alberti Brandenburgici impendio bellum facit Henrico Brunſuicenſi.

Accidit præterea eo tempore Oppoſitio magna ſuperiorum Planetarum in extremo Aquarii & Leonis, quæ ſtatim in vires prorupit. Hi fuerunt eventus prioris anni, quo effectus Eclipſis Solis ſe oſtenderunt. *Oppoſitio in Aquario & Leone, deinde in Piſcibus & Virgine.*

Anno Domini 1553. cùm adhuc potenter graſſarentur effectus Eclipſis ſolaris, atq; iis quoque conjungerentur operationes recentis illius oppoſitionis magnæ, de qua jam diximus: revocato ab urbe Metenſi exercitu, ubi Cæſari militarat, Franconiam petit Marchio, & Herbipolenſis atque Bambergenſis Epiſcoporum, item Noricorum agros paſſim igne & direptionibus vaſtat: Bambergam ipſam capit & Suinfurtum. Quingentos equites, qui Noricis auxilio veniebant, interceptos ſpoliavit ac dimiſit. Dum Franconia hunc in modum bello ardet, vexat etiam vicinos ſuos Henricus Brunſuicenſis, qui per Philippum filium armis pecuniam illis paſſim extorſit, per Epiſcopatum Monaſterienſem & Mindenſem: item ſubditis agnati Erici & Bremenſium. Evertitur à Cæſariano milite Terovana, Galliæ oppidum. Bellum accenditur in Pedemontio & Hetruria. Saxones, laborantibus bello Franconibus ſuccurrunt, quos Marchio alio itinere, celeriter in Saxoniam contendens cum exercitu, domũ retrahit: ubi cùm incendio & rapina compleret omnia, ſumma vi & pugna decertatum eſt, in qua præter ingentem equitum ac peditum numerum, tres Principes, Mauritius ſcilicet ipſe, Henrici Brunſuicenſis duo filii, Philippus atque Victor occubuerunt: etiam multi Barones ac Comites, & præter hos ad quingenti genere nobiles viri. Paucis diebus ante hanc ſtragem, Eduardus Angliæ Rex, adoleſcens annorum ſedecim, extinctus eſt: cujus interitum ſequuta eſt in Anglia magna religionis mutatio, & valde cruenta inter ſorores de regno contentio. Habuit ille in ſua Geneſi Virginem in Horoſcopo, in quo ſigno zodiaci jam dicta Eclipſis contigit.

Eodem anno Domini 1553. menſe Auguſto, iterum Oppoſitio illa magna ſuperiorum Planetarum renovata eſt, accidítque non in Aquario & Leone, ut ſuperior, ſed in Piſcibus ac Virgine. Hæc ſtatim calentibus adhuc operationibus Eclipſis, tra-

tragicos exitus in Anglia attulit. Dux enim Northumbriæ capite plexus est,& Pontificium dogma rursus in totum regnum receptum. Instaurato exercitu Albertus Marchio, rursus cum Henrico Brunsuicensi infeliciter confligit, non longè à Brunsuico: dehinc Brunsuicum ab Henrico obsessum fuit. Anno altero post eam Oppositionem magnam, qui numerabatur à Christo 1554. novæ turbæ Angliam exceperunt, cùm regina Maria Philippo Hispaniarum Regi nuberet. Sedato hoc tumultu, permulti comprehensi, & supplicio affecti sunt. Ducis Northumbrię filius, Guilfordus Dudleus, & ipsius uxor Johanna, Suffolcii Principis filia, proneptis Henrici Regis ex sorore, cum patre Suffolcio securi percussi: Elizabetha, Mariæ soror, in vincula conjecta, quòd illorum consilii de invadendo regno conscia fuisse putaretur. Circa hoc tempus Sybilla Clivensis, Ducis Saxoniæ Johannis Friderici conjunx: & non ita diu pòst maritus ipse summa pietate, & constantissima in Christum fide, decedunt. Hinc ad Suinfurtum præliatum, ex quo loco Marchione in fugam conjecto, miles victor hinc inde prædam egit. Vix dum sedatis his Germanię tumultibus, Belgicum rursus bello implicatur, hinc Cæsare, illinc Gallo copias ducentibus. Anno tertio post Oppositionem illam magnam, qui fuit à Christo nato 1555. mortua est Philippi Regis Hispaniarum conjunx, mater Caroli V. & Ferdinandi, Cæsarum: item Johannis Friderici Ducis Saxoniæ uxor, quæ prius etiam Mauritio nupta fuerat. Obiit insuper Julius III. Pontifex Romanus, & Sebastianus Archiepiscopus Moguntinus, vir doctus. Turcæ excursionibus Ungariam infestarunt. Bellum inter Regem Sueciæ, ac Ducem Moscoviæ exarsit. Anno Domini 1556. exerente adhuc vim suam Oppositione prædicta, migravit è vita Archiepiscopus Trevirensis Johannes ab Eysenburg: item Fridericus Palatinus Elector, admodum senex, sine liberis: cui succes-

sit

sit Ottohanricus, fratris filius, Princeps natura liberalis, & recti tenaciſſimus. Is Academiam Heydelbergenſem redditibus annuis locupletavit.

Cometa. Cometa fulſit in Martio colore ſubnigro ac livido, quem ipſe obſervavi, ac in meo opere de Eclipſibus poſui. Livonia bello domeſtico laboravit. Caritas annonæ in Belgico fuit. Tranſylvania Ferdinando Regi à filio Johannis Weywodæ, per auxilium Turcicum, rurſus adempta eſt. Sub idem tempus Carolus V. Imperator, tot regnorum adminiſtratione demandata Philippo filio, in Hiſpaniam conceſſit, quieti, religioniqúe vacaturus. Bellum inter Paulum IV. Pontificem Romanum, & Philippum Regem Hiſpaniarum, in Italia cœptum: Gallo Pontifici auxilia ſubminiſtrante. Eodem anno, menſe Novembri facta eſt Eclipſis Solis tetra in grad. 20. Scorpii, diſpoſitore ejus Marte in angulo ſupremo cœli poſito. Hæc verò ſtatim effectus ſuos exerere cœpit, quos in duos ſequentes annos ſparſit. Priori anno, qui fuit à nativitate Chriſti 1557. in quem etiam vires Cometæ illius inciderunt, Albertus Marchio Brandenburgenſis, exul, qui tot vulneribus patriam lacerarat, vitam finiit. Item expeditio ſuſcepta eſt in Ungariam contra Turcas, qua nihil memoria dignum effectum eſt. Sed apud Sanquintinum Galli inſignẽ cladem ab exercitu Regis Philippi Hiſpaniarum acceperunt, amiſſo poſt oppido. Variæ diſceptationes de religione Wormatiæ inter doctores partium, qui ad colloquendum eò venerant. Eodem tempore magnæ inundationes Romæ. Altero anno, qui numerabatur à Chriſti nato 1558. cùm adhuc vigerent operationes Cometæ & Eclipſis, Caletum, portum Angliæ munitiſſimum, Galli occuparunt. Melchior Zobelus Epiſcopus Herbipolenſis, vir excelſi animi nefariè ab inimicis interficitur, præter morem & conſuetudinem Germanorum. Denuò arma graſſata ſunt per Belgicum, & Ducatum

Eclipſis Solis in Scorpione.

Lucem-

Lucemburgenſem,non ſine magna clade, quam pax inter Reges poſtea conſequuta eſt.

Cometa apparuit menſe Auguſto,veſperi,dum eſſem in Bohemia, qui eundem colorem obtinuit cum ſuperiore. Sequuta eſt eum mors aliquot Regum ac Principum omnis ordinis. Menſe Septembri, qui fuit proximus poſt Cometam conſpectum, Carolus V. obiit in monaſterio quodam Hiſpaniæ, Imperator potentiſſimus, & maximè fortunatus, in quo excellens ſapientia, ſumma cum animi magnitudine & moderatione conjuncta fuit: cùm ipſi paulò ante communi ſuffragio Principum ſubſtitutus eſſet Ferdinandus frater, Romanorum Rex, Princeps vigilans, ſobrius, pacis & juſtitiæ amantiſſimus. Paulò poſt Maria, Regina Ungariæ & Bohemiæ, vidua, uxor Ludovici, ac ſoror Caroli & Ferdinandi Cæſarum, debita naturæ perſolvit: item Leonora altera ſoror, quæ fuerat Regis Galliarum Franciſci uxor: quam ſequuta eſt Maria Regina Angliæ, Philippi Regis Hiſpaniarum altera conjunx: cujus morte Anglia mutationes inſignes ſenſit. Pontificia enim factio rurſus exulare juſſa fuit. Anno Domini 1559. vigente efficaciter Cometa illo, mortuus eſt Chriſtianus Rex Daniæ, atque paulò poſt eum alter Rex captivus Chriſtiernus: Ottohenricus Palatinus Princeps Elector, Mecœnas meus benigniſſimus. Henricus II. Rex Galliæ, Lutetiæ in equeſtri certamine ludicro haſta offenſus interiit. Paulus IV. Pontifex Romanus, & alii plures Eccleſiaſtici antiſtites vita functi ſunt. Adolphus Dux Holſatiæ, Titmarſos prælio fuſos ſubjugavit. *Cometa.*

Anno Domini 1560. cùm adhuc graſſarentur effectus ſuperioris Cometæ, caritas magna annonæ fuit. Philippus Melanchthon, vir doctiſſimus, & de re literaria optimè meritus, fatis conceſſit. Ex regno Scotiæ omnes monachi & ſacrificuli ejecti. Franciſcus Rex Galliæ adoleſcentulus, circa finem hujus

anni, rebus humanis exemptus est. Sed ante obitum ejus mense Augusto, accidit Eclipsis Solis tetra, in gr. 8. Virginis, quę statim sequente anno Domini 1561. grassari cœpit, cujus effectus noxii manarunt usq; ad initium veris anni Domini 1563. Per integrum autem tempus, quo Eclipsis hæc effectus suos produxit, Dux Moscoviæ ingens damnum in Livonia, & regionibus finitimis dedit, ubi etiam maximam crudelitatem in obvios quosq; exercuit. In principio effectuũ Eclipsis illius solaris, quod fuit anno Domini 1561. in Gallia ob religionem vehementer sævitum est à Pontificiis, & Zuinglii ac Calvini doctrina de sacrosancta Cœna Domini, stationem nacta est in quibusdam locis Germaniæ, nõ sine multorum offensione. Quod portenderat Eclipsis illa Solis, nonam nimirum cæli domum, quæ religionis est, possidens, sicut à me ante septem annos prędictum fuit. Nam Eclipses Solis in Virgine, ob Jovis in eo signo summam debilitatem, maximè si à maleficis infestentur, plerumq; statum Ecclesiæ tristem, atque distractiones ejus varias per hæreses, ambitiosos & calumniosos conatus portendere solent. Idem de conjunctionibus magnis superiorum Planetarum statuendum est, quando eæ in Virgine contingunt. Sic fuit conjunctio superiorum Planetarum in Virgine sub Constantino Magno, ubi Arriana hæresis Ecclesiam Dei graviter conquassavit. Ita quoque sub Henrico IV. Imperatore accidit conjunctio superiorum Planetarum in Virgine, quo tempore Papatus altas radices egit, ac plurimæ traditiones humanæ Ecclesiam Dei turpiter deformarunt. Sed de his satis.

Eclipsis Solis in Virgine.

Gostavus Rex Sueciæ, benè nummatus, diem suum obiit. In medio effectuum, qui inciderunt in finem anni Domini 1561. & principium anni Domini 1562. annonæ magna difficultas extitit. Tum varii de impendentibus bellis rumores per Germaniam sparsi, neq; id omninò nihil fuit. Mercatores multi opu-

ti opulentissimi passim conturbarunt, & bancham, ut vulgò fertur, ruperunt, non absq; magna viduarum, & pupillorum jactura per Germaniam. Quod etiã in opere meo Eclipsium, ante septem annos edito, prædixeram. Nam tempore Eclipsis constituebatur Saturnus in Geminis, signo Mercuriali, & possidebat domum septimam, quæ contractuum est, pulsans inde quadrato radio locum Eclipsis. Circa finem effectuum Eclipsis, hoc est, ab æstate anni Domini 1562. usq; ad veris initium anni Domini 1563. pestis per Boëmiam, Austriam, Stiriam, & Ungariæ fines vagata est: Noribergæ multa millia hominũ absumsit. Plerumq; enim hæc civitas aliqua calamitate premi solet, quando Eclipsis Solis in Virgine fit, gubernatore ejus Mercurio, simul à maleficis Planetis atrociter læso. Exempla ejus rei ex superioribus Eclipsibus plurima adduci possunt. Quale illud est, quod ad annum Domini 1552. refertur, cùm Albertus Marchio plurimum damni daret. Item alterum anno Domini 1448. cùm Marchio Albertus, cognomento Achilles, urbi exitium intentaret assidua civium clade & internecione. In autumno anni Domini 1562. Archiepiscopus Colonienſis, è sanguine Mansfeldico natus, fatis concessit, cùm videlicet Maximilianus Rex Bohemiæ Francofurti unanimi consensu Principum in Regem Romanorum eligeretur. Hoc tempore Gallia bello civili, & intestinis odiis, ob diversa religionis studia, & æmulationem regni procerum, penè tota conflagravit. Nam, præter oppidorum, pagorum, agrorumq; devastationem, immanis hominum laniena fuit, qua supra triginta millia hinc inde perempta sunt: & quod miserrimum est, nulla sexus, nulla ætatis, nulla omninò sanguinis habita ratio, nocentes & innocentes, armati & inermes, eodem loco ac discrimine positi. Sed perierunt illi quoq; miserè, qui hujus tantæ immanitatis initia introduxerant, Guisius, Marescalcus Santandreanus, Cune-

tablii filius,ac Navarræ Rex,cum aliis Ducibus multis,ac Principibus viris, qui se Pontificiæ mansuetudinis & humanitatis ministros præbuerant. Dum Galli hunc in modum in sua viscera grassantur, Angli erumpunt, quæ superioribus bellis amiserant, recuperaturi. De obsidione illa civitatum, deq; interitu duorum Principum in oppugnationibus, dixi aliquid in meo opere de Eclipsibus, ubi inter cæteras etiam de hac judicium feci. Nec malè quadrabit illud Prognosticon in Guisium, & Navarræ Regẽ, qui origine & authoritate hîc præcipui fuerunt. Hinc bellum extitit inter Fridericum Daniæ, & Ericum Sueciæ Reges, quorum uterq; habet in ascendente nativitatis suę Virginem,alter tamen Martem in Leone,occupantem domum duodecimam : alter verò Martem in Geminis, retrogradum,tenentem supremum cœli angulum. Quod satis mali ominis esse videtur. Plus tamen incommodi habet genitura unius,quàm alterius. Ac vereor, ne aliquando tumultus bellici in ipsorum regnis orti,manent latiùs.

Eclipsis Solis in Cancro.

Cæterùm quamvis circa finem effectuum superioris Eclipsis,qui fuit anno Domini 1563.mense Junio, alia Eclipsis Solis tetra in gr. 8. Cancri acciderit : tamen operationes ejus demum sequente anno Domini 1564.& 1565.atq; paulò diutius se ostendent. Sed hoc ultimo semestri præsentis anni Domini 1563. nulla prorsus vis ullius Eclipsis solaris, aut Cometæ, aut etiam Conjunctionis & Oppositionis magnæ superiorum Planetarum sævit. Ideò nullos motus, aut notabiles mutationes expecto. Sicut proximè Tuæ Regiæ Majestati coràm exposui. Grassantur quidem per hoc ultimum semestre, duarum Eclipsium lunarium effectus, quarum altera anno præsenti, altera superiori facta est. Sed quoniam effectus Eclipsium lunarium imbecilles per se esse, ac plerumq; motus belli inchoatos tantùm, nec durabiles portendere solent, non admodum eos curamus.

ramus. Illud tamen obiter monere volui, quod cùm utriusque præmissæ Eclipsis lunaris gubernator Saturnus valde maleficus, signum aqueum possideat, denunciet varias artes, dolos & impostura inter homines, item frequentes nebulas, easq; noxias, humiditatem aëris, morbos catarrhosos, ex putredine & corrosione ortos, eosq; contagiosos, repentinumq; multis interitum afferentes: divitibus ac nobilibus potissimùm difficultates & angores animi. Quemadmodum hæc jam pridem in opere meo Eclipsium prædicta sunt.

Hactenus præteriti temporis Conjunctiones & Oppositiones magnas superiorũ Planetarum, necnon & Solis Eclipses cum earum eventibus enumeravi, insertis quandoq; Astrologicis causis, quantum res patiebatur. Nam singulorum rationes reddere, nimis longum foret, nec hujus nostri instituti.

Nunc ad futurarum aliquot Conjunctionum & Oppositionum magnarum, atque Eclipsium solarium descriptionem transeo, præsertim quæ viginti annis sequentibus accident, sumpto initio ab instante anno Domini 1564. in quem operationes tam Eclipsis Solis tetræ, quàm Conjunctionis magnæ incident, explicatis tamen prius significationibus Eclipsis, cùm tempore antecedant decreta Conjunctionis magnæ.

CYPRIANI LEOVITII

PROGNOSTICON AB ANNO Domini 1564. usq; in viginti annos sequentes: desumptum ex Conjunctionibus & Oppositionibus superiorum Planetarum, Solis Eclipsibus, aliisq; stellarum configurationibus, quæ intra id tempus accident.

EX superioribus patet, Eclipsin Solis satis horrendam anno Domini 1563. die 20. Junii, horam circiter quintam à meridie accidisse in gr. 8. Cancri, quæ domum cœli octavam occupavit, unà cum Mercurio, Jove, cauda Draconis, ac Saturno, qui ei assistebant: Marte præterea isthuc radios suos quadratos ejaculante. Res est sanè mira, si illas constellationes spectes, quæ certè variæ ac portentosæ sunt, maximè verò considerando locum Saturni supra omnes Planetas, versus medium cœli elevatum, pessimeq; affectum. Unde haud dubiè peculiaris aliqua calamitas denunciatur.

Primum igitur cùm hæc Eclipsis in signo aqueo & humido fiat, accedentibus ei quoque pluribus Planetis in eodem signo Zodiaci, minari videtur frequentes pluvias cum imbribus, ita ut in plerisq; locis ingens, ac intempestiva vis aquarum inundatura sit: alibi fruges putrescant, aut non matureſcant. In provinciis verò ac civitatibus maritimis, eruptiones maris,

vel

vel aliâs desolationes & eluviones horrendæ accident. Item damna magna ex naufragiis, cladesque exitiales prælis navalibus impendebunt. Et quia Eclipsis domum cœli octavam possidens, cum Cane majore versatur, reliquiq; Planetæ ei Eclipsi corpore suo commixti, non procul à cane minore distant, quarum stellarum fixarum utraq; non mediocrem violentiam in se habet: portendit nonnullis Regibus ac Principibus interitum: nonnullis verò exilia aut captivitates. Idem positus, habens præsertim superiores Planetas sibi adjunctos, qui cum loco Eclipsis cõdescendunt, ostendit aliquid memorabile eventurum, propter mortem ejus, qui summum magistratum gesserit in Imperio: nec non turbas, ob quorundam defunctorum hæreditates. Pestis etiam ex tali configuratione syderum longè lateq; spargetur: maximè cùm Eclipsis in signo cõtagioso contingat, simulq; Planeta contagiosus supra eam elevetur. Ita fuit Eclipsis Solis constituta anno Domini 1424. in Cancro, & octava domo, Saturno supra eam elevato, quam validissima pestis subsequuta est. Mars deinde locum Eclipsis, reliquosq; Planetas adstipulatores feriens per quadratum radium, ex angulo imi cœli, unde robur ad nocendum assumit: parit acerba dissidia, factiones, clandestinas conspirationes, ac cruenta bella inter quosdam magnates septentrionales & occidentales, cosq; consanguineos, agnatos vel affines, quorum tyrannidis, onerum & crebrarum exactionum pertæsi subditi, maximè nobiles, ad rebellionem, seditiones ac defectiones nefarias commovebuntur. Ista omnia conveniunt exactè cum prędictione mea Astrologica, quam ante octennium ferè ad annum Domini 1564. 1565. & ad prius semestre anni Domini 1566. in lucem emisi, atq; operi meo Eclipsium inserui. Ex tali etiam configuratione Martis inopia, confusio, & rabies communis in quibusdam civitatibus splendidis ostenditur, quam nova forma gubernationis

tionis sequetur. Quia præterea Eclipsis in exaltatione Jovis accidit, Jove videlicet ipso sub cauda Draconis, & Saturno valde malefico constituto, statum turbulentum ac calamitosum Ecclesiastici ordinis proceribus denunciat, quorum res tristem sortientur exitum: aliqui verò ex eis, quod hactenus recusarunt, de suo jure concedere cogentur. Talis fuit Eclipsis Solis anno Domini 1433. in gr. 5. Cancri, cui Jupiter in eodem signo permiscebatur. Tempore ejus effectuum Veneti, Florentini, ac Dux Mediolanensis bellum contra Pontificem Romanũ moverunt, quo in eas angustias redactus fuit, ut de vita ac fortunis periclitaretur omnibus. Tum etiam in Concilio Basilienſi coactus est Bohemis sacramentum altaris sub utraque specie permittere.

Hæc in genere de Eclipsi illa dixisse sufficiat. In specie autem de eadem sic pronuncio: Ut primùm metuam regno Galliæ, ne id novis domesticis discordiis, potissimùm verò à domo Burgundiæ, aliquaq; ex parte ab Anglis duriter affligatur. Sic se habuit Eclipsis Solis in Cancro, anno Domini 1424. cùm Carolus Rex Franciæ, Anglorum, Burgundionumq; armis, finibus suis ejectus est. Talis quoque Eclipsis Solis in Cancro contigit anno Domini 1469. quæ bellum ingens peperit inter Ludovicum Regem Franciæ, & Carolum Ducem Burgundiæ. Item similis Eclipsis Solis in Cancro fuit anno Domini 1536. quando Galli ac Burgundi in Picardia ingenti utriusq; populi clade concurrerunt. Deinde vereor, ne Dani, Slesuicenses ac Sueci mutuis vulneribus se conficiant. Nam talia secuta sunt Eclipsin Solis in Cancro, anno Domini 1424. Simile quid accidere potest in regione Lubecensi ac Bremensi, Frisia, locisque adjacentibus. Tertiò timeo, ne Bohemiæ status immutetur, ac turbulentus fiat. Plerumq; enim hæc regio vel incolæ ejus alicui malo implicantur, cõtingente Eclipsi Solis in Cancro. Causa for-

sa fortassis ea est, quòd tum Eclipsis ex diametro Capricorni accidat, sub quo signo Zodiaci Bohemia regni nomen adepta est, ut suprà demonstravimus. Exemplis id quoque aliquot comprobari potest.

Nam anno Domini 1424. apparuit Eclipsis Solis in Cancro, post quam Principes quidam Germaniæ Bohemiam à tribus partibus invaserunt, ut dictum est suprà. Postea anno Domini 1433. evenit Eclipsis Solis in Cancro, cui Jupiter in eodem quoq; signo accessit, quemadmodum in proposita Eclipsi fit. Eam sequuta est magna laniena ibidem, cùm propter religionem collapsa publica disciplina per interregnum Bohemi inter se digladiarentur, ut relatum est suprà.

Anno præterea Domini 1469. conspecta est Eclipsis Solis in Cancro, post quam Matthias Hunniades Bohemis bellum indixit instinctu Pontificis: eisq; ademit Moraviam, Silesiam ac Lusatiam. Postremò accidit Eclipsis Solis in Cancro, anno Domini 1536. cùm multi Bohemi in Hungaria à Turcis cæsi & captivi abducti sunt, proditione Cazianeri. Quartò metuendum, ne Austria, Carinthia aut Stiria à Turcis duros impetus sustineant, & per excursiones ac deprædationes affligantur. Quia idem evenit circiter annum Domini 1470. cùm similis Eclipsis Solis in Cancro se obtulisset. Quintò vereor, ne Polonia cum cohærentibus ei regionibus: item Prussia dominum mutent, vel aliâs gravi clade afficiantur, partim vi externa, partim domesticis factionibus concussa. Prussiæ enim Cancer præest, & hic Rex Poloniæ in Horoscopo Cancrum habet, in quo signo Eclipsis fit. Aliquot insuper reginis & illustribus matronis obitum denunciat constitutio illa Planetarum, juxta Eclipsin in signo ac loco cœli fœminino: præsertim verò iis, quæ provincias subjacentes Cancro incolunt, aut sub eodem sydere natæ sunt. Quidam etiam potentissimus Princeps habet NB.

bet dominũ genituræ Jovem penes Lunam in Cancro, ad cujus locum hæc Eclipsis unà cum suis Planetis incidit.

Videat ergo ne nimium affectibus suis indulgeat, néve falsis persuasionibus seducatur, unde repentè ac de improviso in turbas, angustias, amissionemq́; & jacturam rerum incurrere posset, non tantùm ab exteris, sed à suis quoque: maximè cùm Saturnus & Mars in figura nativitatis principium Tauri possideant, prope duodecimam domum: altero eorum in suo detrimento posito. Et ut paucis dicam, plurimæ sanè vicissitudines, ærumnę, mortes, cædes, latrocinia ac vastationes in multis provinciis hac Eclipsi denunciantur, idq́; propter multa enormia peccata populi. Veruntamen ea singula, quæ jam de hac Eclipsi ordine dixi, eventura puto ab initio veris anni Domini 1564. usque in finem penè æstatis anni Domini 1566. Quia tum temporis effectus illius Eclipsis sævient. Neq; verò ex hac solùm Eclipsi tot atq; tantas calamitates decernere auderem, nisi me etiam moveret recens Conjunctio magna superiorum Planetarum, quæ vires suas cum hac Eclipsi conjunget. Unde altera alterius malitiam augebit, malaq́; malis cumulabuntur.

Conjunctio in Cancro & Leone maxima.

Etsi autem conjunctio illa magna hoc anno Domini 1563. mense Septembri, in principio Leonis incipiet: tamen ea pleniorem ac perfectiorem impressionem consequetur futuro anno Domini 1564. Tunc enim eadem Conjunctio bis rursus accidet, primùm mense Januario, in gr. 1. Leonis: deinde mense Aprili, in gr. 29. Cancri. Et quod longè maximum & rarissimum est, circa finem mensis Junii, ac principium Julii, anni Domini 1564. incident simul omnes penè Planetæ in Leonem, quod signum Zodiaci inter cætera longè præstantissimum est, nec ullum aliud sydus in cœlo tot præclaris ac splendidis stellis ornatum. Ideò quoq; Astrologi id Soli attribuerunt, in quo summam dignitatem obtinet, nec aliis rebus præest, nisi sublimibus

Nota.

bus & altis, item regibus, principibus, generosis viris, & qui ad gubernacula Reipublicæ sedent.

O rem admirandam & prodigiosam! O reges ac principes utriusq; ordinis, preces ad Deum fundite, atq; vitæ emendationem suscipite! Vobis enim summæ calamitates impendent, omnia misera significantur: paupertates, tribulationes, exilia & captivitates imminent, idq; ob diversa religionis studia, ob contemptum verbi divini ac ministerii, & ob ignaviam in gubernatione, &c. Propter hæc enim delicta Deus vos graviter puniet. Nec verò dissidia inter vos orta, affinitate & similibus pacificationibus sopientur, ut factum est hactenus: sed ubi res ad pacem inclinare videbitur, illicò novis occasionibus, intolerantia puta, cupiditate vindictæ, ambitione, avaritia, callidis consiliis, bella & odia recrudescent, quæ multis exitio erunt: multos etiam fortunis omnibus spoliatos extorres agent. Ego hercle ab octingentis propemodum annis talem Conjunctionem magnam superiorum Planetarum in Leone non invenio, neq; video talem intra totidem annos futuram.

Collatio instantis temporis cum seculo Caroli Magni Imperatoris.

Tempore Caroli Magni accidit similis Conjunctio superiorum Planetarum in extremo Cancri, & principio Leonis, incidit que prorsus in initium regni, quo is post mortem Pipini patris, rerum potitus est. Factum est hoc anno Domini 769. Quemamodum autem tunc ingens mutatio Imperii contigit: ita nunc quoque insignis rerum conversio accidet, novæ leges ac judicia instituentur. Et sicut tum temporis cœpit Imperium Romanum dividi: altero videlicet Imperatore ad Orientem: altero ad Occidentem sibi Imperii potestatem vendicante: ita nunc distractio Imperii impendere, & pertimescenda esse videtur, ob diversas religiones & factiones Principum, quorum alii alium Imperatorem sibi cooptabunt & attrahent. Ac velut conjunctionem illam magnam varia & multa bella secuta sunt

in Gallia, Italia, Hiſpania, Saxonia, & quibuſdam aliis in locis Germaniæ, idq; propter libidinem dominandi, ſtudium privati commodi, contemptum ſummi magiſtratus ac religionem: ſic hanc conjunctionem ſubſequentur aliquot funeſta & exitioſa prælia, & fortaſſis in iiſdem regionibus, ac ſimilibus de cauſis, de quibus jam dixi. Unde fiet inexpectata tranſlatio regnorum ac principatuum ad alias familias, ita, ut ubi prius duo vel tres regnarint, jam unus duntaxat id ſibi attributurus ſit. Et quemamodum tempore conjunctionis illius magnæ, Dominus Deus excitavit præſtantem illum Heroëm, Carolum Magnum, qui tantis fluctibus ac procellis Imperii gubernacula regens, honeſtam diſciplinam legum, & Eccleſiæ ſedem conſervaret apud hos populos: ſic tempore hujus Conjunctionis, haud dubiè Deus Opt. Max. principem aliquem potentem, maganimum & induſtrium langueſcenti Europæ dabit, qui perturbatum Imperium in certum ordinem redigat, collapſamq; diſciplinam inſtauret: Eccleſiam tyrannide liberet, & ſua liberalitate, honeſtatis ac bonarum artium ſtudia, ut alter fecerat, excitet. Quid ſi tu is eſſes, Maximiliane Cæſar, quem nunc quærimus? quem ſaucium & malè affectum Imperium hoc poſtulat? quem denique ærumnis ubiq; oppreſſa Eccleſia Dei tot ſuſpiriis efflagitat? Ego equidem ex omnibus circumſtantiis id auguror, planeq; mihi perſuadeo. Quippe, cùm initium regni tui in hanc conjunctionem exactè incidat, quod etiam Carolo Magno eveniſſe conſtat. Imò quod magis eſt, Planetæ in tua Geneſi præcipui, admodum arctè huic conjunctioni devincti ſunt. Jupiter enim dominus genituræ in Cancro ponitur: Mercurius verò gubernator aſcendentis, Soli potentiſſimo in Leone configuratur, à quo non ita procul Regulus, ſtella fixa eximia & benefica diſtat. Unde liquet Planetas illos, penes quos dominium totius nativitatis eſt, in iiſdem prorſus

Zo-

Zodiaci signis constitutos esse, in quibus conjunctio præsens fit. *Quod certè observatione dignissimum judico.* His præterea duobus Planetis optimè affectis, alii duo accedunt, Saturnus videlicet ac Luna, ex permutatis altitudinibus se recipientes, quod tantundem valet, ac si uterque eorum in sua exaltatione versaretur. *Sic igitur in tua genesi quatuor Planetæ suis essentialibus dignitatibus fulgent, & quod mirandum est, hi atq; reliqui omnes, maxima ex parte, benignis aspectibus inter se miscentur, fortunataq; cæli loca ex toto ferè possident.* Exempla tam felicis situs ac configurationis rarò reperiuntur in familiis Principum hujus temporis. NB.

Habeo quidem geneses cognitas omnium penè Principum Imperii, ac Regum orbis Christiani, sed inter eos nullum invenio, cui tot Planetæ in suis essentialibus dignitatibus constituantur, & qui ita amicis radiis cohæreant, tantamq; cognationem cum præsenti conjunctione magna obtineant: excepto tantùm unico Principe adolescente ex Austriaca quoq; familia orto. Hæc ideò obiter attigi, ut sciri possit, quantum in eo situm sit, cùm alicujus nativitas cum generali influxu syderum convenit. Nam ejusmodi mutuo consensu maximarum rerum successus juvantur. Sic habuit in sua genesi patruus tuus Carolus V. Imperator, quatuor Planetas præcipuos in Piscibus, sub cujus Imperii initium facta est Conjunctio magna superiorum Planetarum in Piscibus, quæ cum nativitate ad amussim congruebat. Unde magnitudo eventuum, & evidentia felicium successuum apparuit. Neq; verò & hoc silentio præterire volo, Maximiliane Rex glorioßissime, te ex familia Austriaca primum esse, sub quo Trigonus Igneus incipit. Hactenus enim omnes Austriaci Principes, qui te antecesserunt, partim sub Trigono Aëreo, ut Rudolphus Habspurgensis, & cæteri qui eum sequuti sunt: partim Aqueo, ut Albertus II. & Fridericus III. & sequentes omnes, gubernationem Imperii susceperunt.

Cùm ergo nunc novus Trigonus impendeat, qui Igneus est, haud dubiè nova secula sequentur, quæ repentinas & violentas mutationes inducent, id quod etiam antea evenit, quando Trigono aliquo cessante alius recens inchoavit, maximè verò si Trigonum Aqueum sequeretur Igneus. Nam sub eo bis jam insignis mutatio accidit. Primùm tempore Julii, atq; Augusti Cæsaris, quo hæc Monarchia multo cruore stabilita est. Postea tempore Caroli Magni, ac patris sui Pipini, quo rursus Monarchia hæc enervata, aliquantum respiravit. Nunc tertiò instat idem, cujus effectus res ipsa declarabit.

Sed redeo ad institutum. Quoniam post conjunctionem illam magnam superiorum Planetarum, statim fiet maximus conventus omnium ferè Planetarum in Leone, circa finem mensis Junii, ac principium mensis Julii, anno Domini 1564. judico ex ea tum appariturum valde horribilem Cometam. Plerumq; enim congressus Planetarum in signis igneis, Cometas denunciant. Sic fuit coïtus Planetarum in Leone anno Domini 1434. quo Cometa fulsit. Item, cùm esset coacervatio Planetarum anno Domini 1556. mense Martio, in Ariete, confestim Cometa sequutus est. Quod si eo tempore, ut dixi, Cometa orietur, æstus ingravescet, & anni siccitas annonæ caritatem gignet. Et quod plus est, incident simul in idem tempus vires Eclipsis Solis, Conjunctionis magnæ, & Cometæ, ex quorum trium testimoniis, non nisi mirabiles ac funesti exitus portenduntur. Si verò Cometa visus non fuerit, accident aliâs horrendæ visiones in cœlo, ac prodigia varia. Orientur præterea sæpiùs fulmina, ac tonitrua gravissima, grandine permixta, quę passim multum damni dabunt. Nam pugnantia quædam inter Eclipsin & conjunctionem illam magnam existet, puta, quia alterius significationes ad frigiditatem ac humiditatem, alterius ad caliditatem & siccitatem referuntur: atque propterea

inæ-

inæqualitatẽ aëris producunt, ex qua mutua infractione qualitatum, non niſi coruſcationes nubium ſequentur. Major tamen vis erit conjunctionis magnæ quàm Eclipſis, potiſſimùm in Junio & Julio, anni Domini 1564. cùm eo tempore omnes propemodum Planetæ Leonem, ſignum calidum ac ſiccum, percurſuri ſint: item in Majo & Junio, anni Domini 1565. atque 1566. cùm Mars natura fervidus Planeta, ſignum calidum & ſiccum occupabit, cui etiam Saturnus in ſigno igneo conſtitutus permiſcebitur. Et quia Conjunctio illa magna ſuperiorum Planetarum, quàm maximè ſe ad principium Leonis extendit, qualis etiam fuit anno à Chriſto nato 34. altero videlicet anno poſt ejus aſcenſum in cœlum, cùm Apoſtoli ſpargerent Evangelium in univerſum orbem terrarum: decernitur ex eo nunc puræ ac ſinceræ doctrinæ longè lateq; diſſeminatio, etiam iis in locis, ubi antea non fuit. Sed quemadmodum regnum Chriſti partum eſt ſanguine: ita propagationẽ illam verbi divini multæ acerbitates comitabuntur, & conabitur eam varia hæreſi impedire Sathan.

Collatio inſtantis ſeculĩ cum eo tempore, quo Apoſtoli exiverunt in univerſum orbem.

Ex prædicta porrò conjunctione magna colligere licet, artes plurimas abſtruſas, & hactenus incognitas revelatas: & res maximas parvo impendio perfectas iri. Adeò enim ſolertia & expedita ingenia his temporibus exiſtent. Faxit Deus Opt. Max. ut hæc omnia ad gloriam Dei, Eccleſiæ ac Reipublicæ ſalutem referantur. Atq; ſic decreta conjunctionis hujus magnæ ſatis accuratè à me explicata eſſe puto, quæ præceptis Aſtrologicis conſtant. Veruntamen meminiſſe oportebit, effectus ejus duraturos eſſe per integros quinque aut ſex annos ſequentes, quibus præcipuè evenient ea, quæ antea recenſui, & quæ per ſe effectura videtur conjunctio illa magna.

Hoc tantùm addere volui, quòd homines, qui in ſuis nativitatibus Leonem in Horoſcopo habent, aſſiſtentibus ei aliquot

quot Planetis: aut quibus Planetæ ſuperiores in eodem ſigno Zodiaci conſtituuntur, vel quibus luminare temporis, aut dominus genituræ vel Horoſcopi in Leone collocatur: ii inprimis ad choreas cœleſtes invitabuntur, aliquidq; novi molientur. Ego quoſdam ex Principibus Germaniæ novi, qui tales poſitus Planetarum in ſuis genituris habent: quorum uni aſcendit Leo cum Sole & Mercurio: alteri Saturnus ac Jupiter in Leone reſidet in decima domo: tertius Leonem in Horizonte habet, cui Mars, Mercurius & Sol accedunt: quartus natus eſt, emergente in Horoſcopo ſigno Leonis, quod Mercurius, Mars ac Venus occupant: in quinti genitura, Luna, luminare temporis, Leonem occupat, & læditur per quadratum ab utroq; malefico, conſtituto in Tauro: in ſexti nativitate, Venus domina Horoſcopi, ſimul ac gubernatrix luminarium, ſignum Leonis obtinet. Hi principes procul dubio, vigente conjunctione magna nunc propoſita, variis negotiis implicabuntur, anſamq; præbebunt periculoſis mutationibus. Regiones præterea, quæ Leoni ſubjacent, motibus bellicis ac factionibus diverſis ſcatebunt. Potiſſimùm autem regnum Bohemiæ debet eſſe cauſa maximarum mutationum in Imperio, in Italia, provinciis Occidentalibus & Septentrionalibus.

Habeo vetuſtiſſima cujuſdam vaticinia, quæ innuunt his poſtremis temporibus Leonem rugientẽ è ſylva egreſſurum, ac dilaniaturum plurimas feras, ſtabiliturumq; eſſe ſuum dominium robore ac vi ingenti. Quod ad regnum Bohemiæ refero. Nam Bohemiæ inſignia ſunt Leo bicaudatus: & undiquaque circumdatur ſylva, tanquam nativo muro, qualis nulla invenitur alia regio. Imò Bohemia eſt cor Germaniæ, quia in medio Europæ locatur. Et quemadmodum univerſi corporis virtus à corde manat, ita Imperii robur ac nervi ex Bohemia inſtaurari poterunt. Sed hæc artis peritioribus pleniùs excutienda relinquam. Fer-

Ferventibus porrò adhuc superioris Conjunctionis magnæ effectibus, continget Eclipsis Solis maxima, anno Domini 1567. die 9. Apriiis, paulò post meridiem, in gr. 29. Arietis, cujus operationes in autumno eodem anno Domini 1567. incipient, desinentq́; prorsus in fine anni Domini 1569. Profectò tam tetram ac horrendã Eclipsin Solis ab anno Domini 1544. non habuimus, nec etiam multis futuris seculis habituri sumus. Adde quòd non sola in suis operationibus grassabitur, sed permiscebitur simul quoq; effectibus conjunctionis magnæ, ante quadriennium factæ. Proinde ob harum duarum constellationum vim ac potentiam, prænuncio insignes ac multos lamentabiles casus, præsertim apud Germanos, & in Imperio, quod translatum est à Francis ad Saxones, sub conjunctione magna superiorum Planetarum in Ariete. Unde meritò Aries Germaniæ præest. Cumq́; aliqua Eclipsis Solis in eo ipso signo Zodiaci fit, plerumque gravissimæ perturbationes in Germania & Imperio accidere solent. Exempla id plurima ex superioribus petita ostendunt. Mihi hac Eclipsi summo magistratui periculum exilii, aut captivitatis ostendi videtur, propter inimicorum insidias, vel rebellionem subditorum. Talis fuit Eclipsis Solis anno Domini 1418. & 1419. in Ariete, cùm paulò post Sigismundus Imperator in Germania oberraret tanquam exul, pulsus regno Bohemiæ. Similis quoque Eclipsis Solis contigit in Ariete, anno Domini 1485. cùm non ita diu pòst, Maximilianus jam designatus Rex Romanorum, Brugis apud Belgas captivus detentus est, ut suprà commemoravimus. Secundò judico ex hac Eclipsi, quoniam in signo igneo accidit, futurum æstum gravissimum, ac tantam siccitatem, ut profunda flumina vadosa fiant, mediocria exarescant. In plerisq; locis incendia plurimum damni dabunt. Caritas etiam rerum impendebit. Et quia Eclipsis illa Solis in domicilio Martis fit, militibus Germani-

Eclipsis Solis in Ariete.

manicis clades funestæ in pugna per proditionem, aut socordiam ducum portenduntur. Idem evenit anno Domini 1540. & 1541. quo tempore similis Eclipsis in extremitate Arietis sæviit. Tertiò statuo ex hac Eclipsi, civitates nonnullas amplissimas ac potentissimas, à quibusdam Principibus expugnatum ac vastatum iri: exhaustis ac direptis æratiis, ademptisque earum privilegiis: ita ut decus illarum prorsus concidat.

Talis contigit Eclipsis Solis in Ariete, anno Domini 1485. post quam Ratisbona à Duce Bavariæ capta est. Eadem quoq; Eclipsis Solis in Ariete accidit anno Domini 1530. cùm Florentia ab exercitu Caroli V. Imperatoris & Papæ, diu obsessa, in servitutem perveniret. Motus insuper terræ vehemens erit in civitatibus meridionalibus. Quartò pronuncio ex hac Eclipsi, orituras seditiones, ob servitutem omnibus impositam: præterea deprædationes, diras cædes ac desolationes, ex bello inter Episcopos & Duces Germaniæ, translatis rerum dominiis, quod multorum trepidatio & fuga comitabitur. Postremò animadvertendum est, Eclipsin Solis præsentem, apud nonnullos populos Europæ, in domum nonam: apud quosdam verò in decimam incidere. Qui igitur eam in domo nona habuerint, apud illos mutationes in religione fient: primores q; Ecclesiastici interibunt, vel alias malè tractabunturi. Quibus verò in decima constituetur, illis mutationes in Politia denunciantur, iidemq; prophani ordinis Principum, potissimùm rei militaris peritia insignium, mortem videbunt. Sed ista sigillatim persecutus sum in opere meo de Eclipsibus.

Oppositio in Scorpione & Tauro, deinde in Sagittario & Geminis. Eclipsis Solis in Sagittario.

Cæterùm anno Domini 1573. & 1574. fiet Oppositio magna superiorum Planetarũ in Scorpione ac Tauro, item in Sagittario & Geminis, cui etiã Eclipsis Solis satis tetra in Sagittario commiscebitur, quæ tamen apud Occidentales populos potissimùm efficaciam suam exercebit: atq; eandem in duos sequen-

sequentes annos producet. Ego ex hac Oppositione magna, & Eclipsi Solis, judico inusitatum aëris calorem & siccitatem: deinde vehementes dissensiones inter fratres, agnatos & affines: frequentes exactiones, ac graves expilationes, quibus subditos suos domini passim gravabunt, atq; ad conspirationes clandestinas, & seditiones impellent. Pars procerum ac nobilium defectionem meditabitur. In negotiis matrimonialibus, vel de dote mulierum, veterisque juris dominio, aut reconventione pactorum, altercationes incident. Motus bellici atroces erunt: item conflagrationes, depopulationes ac direptiones agrorum, oppidorum, arcium & civitatum. Principum ac magnatum decessus luctuosus ostenditur. Mutationes insignes tam in religione, quàm politiis ingruent. *Præcipuè verò caveat sibi Hispania, cùm eius regna Sagittario subjaceant.*

Anno Domini 1583. mense Majo, accidet Conjunctio magna superiorum Planetarum in ultima facie Piscium, cui statim sequente anno Domini 1584. succedet maxima coadunatio, seu coacervatio omnium penè Planetarum in Ariete, circa finem mensis Martii, ac principium Aprilis. Et quod plus est, paulò post eam, conspicietur Eclipsis Solis in gr. 20. Tauri, penes caput Algol, stellam fixam violentissimam ac pernicioſissimam, gubernatrice ejus Venere, quinq; Planetis in Ariete associata, versusq; domum duodecimam tendente. Ex tali constitutione syderum, cùm in signo igneo fiat, Cometæ ingentis apparitionem conjicio, & prodigia varia. Unde multiplices ac varii effectus à pluribus causis orientur. Hîc evigilandum omnibus, & terrenas mentis cogitationes excutiendas esse censeo, ne imparati opprimamur. *Nam hæc Conjunctio magna superiorum Planetarum omnium postrema est, quæ contingit in fine Trigoni Aquei, expirabitq; cum ea penitus totus Trigonus Aqueus, & commutabitur in igneum. Etenim quæ post hac sequentur Conjunctiones magnæ superiorum*

Conjunctio in Piscibus & Ariete insignis.

Nota.

Eclipsis Solis in Tauro.

NB.

riorum Planetarum, eæ omnes in signis igneis fient, usq; ad complementum ducentorum propemodum annorum. Postea succedent conjunctiones magnæ in terreis signis: dehinc in aereis: ultimò rursus in aqueis. Nec amplius intra octingentos annos, finis Trigoni Aquei impendebit. Cùm autem sub exitum Trigoni Aquei, Monarchia hæc quarta cœperit, verosimile est, eam quoq; in fine ejusdem Trigoni interituram esse: cùm filius ipse Dei, Dominus noster Jesus Christus, omninò in fine Trigoni Aquei, humanam naturam induerit. Etenim annis 6. ante nativitatem ejus gloriosissimam, eadem prorsus conjunctio magna in extremitate Piscium, & initio Arietis accidit. Nec ab eo tempore similis extitit, nisi cùm Carolus Magnus Imperium teneret, quod factum est anno Domini 789. & nunc secundò talis conjunctio magna eveniet, quæ procul dubio alterum adventum filii Dei ac hominis, in majestate gloriæ suæ prænunciat, quo vitæ, factorumque ratio cunctis reddenda erit. Quare amanter omnes admonitos esse velim, ut quisque oblatam à Deo gratiam, piè amplectendo vocationem suam certam faciat: neq; hæc indicia, quibus divinitùs ad pœnitentiam vocamur, securè negligat, cum sempiterno animæ suæ dispendio. *Sed sub Carolo Magno finis mundi esse non potuit, quia tum nondum quinq; millia annorum completa fuerunt.* Jam verò, durantibus nimirum operationibus hujus conjunctionis magnæ, numerus ad sex mille annos inclinabit, qui cum prophetia sacra consentit, *affirmante, quòd mundus hic sex mille annos stare debeat*, cui summæ annorum ipse filius Dei aliquid detrahit, dicens: Postrema tempora propter electos Dei abbreviata iri. Quod si adhuc una similis conjunctio magna superiorum Planetarum expectanda esset, requirerentur ad eam octingenti ferè anni, qui ad hujus conjunctionis magnæ tempora additi, constituerent sex millia annorum, cum quadringentis propemodum: quod cum prophetia manifestè

Hujus conjunctionis magnæ collatio cum ea, quæ præcessit Christi nativitatem.

NB.

nifestè pugnat. Has qualescunq; conjecturas meas proferre volui, quæ cum vetustissimorum Astrologorum doctissimis vaticiniis planè conveniunt, quorum ego Germanicos rhytmos, operi meo Ephemeridum, ante septem annos inserui. Ii Latinis versibus sic sunt redditi:

Post mille expletos à partu virginis annos,
Et post quingentos rursus ab orbe datos:
Octogesimus octavus mirabilis annus
Ingruet, is secum tristia fata feret.
Si non hoc anno totus malus occidet orbis,
Si non in nihilum terra fretumq; ruet:
Cuncta tamen mundi sursum ibunt atq; retrorsum
Imperia, & luctus undiq; grandis erit.

Vel brevius ita:

Mille salutis agat, quingentos mundus & annos,
Octavus decies, bisq; quaternus eat:
Et tibi vel mundi ruitura notabitur ætas,
Omnia vel miris cladibus acta cadent.

Scio equidem nulli mortalium, neque etiam ipsis angelis planè cognitum esse illud tempus, quo filius Dei ad judicandum veniet: neque id nos scrupulosè inquirere decere: nemo tamen, opinor, tam alienus à veræ rationis usu est, qui non fateatur, admirandæ varietatis & pulchritudinis hoc opere, multa nobis tacitè præsignificare voluisse opificem: quippe, cùm temporum ac vicissitudinum illud nobis tanquã horologium fabricarit. Quare hanc doctrinam nemo sanus contemnere potest, quæ ex certa ratione principiorum, generales conjecturas profert: dummodò ita tractetur, ut moribus ac pietati non officiat: quod mihi ab adolescentia cumprimis studio fuit, ut mei omnes declarant libri. Et quanquam Deus liberrimè agit, nullis prorsus illigatus causis secundis (posset enim tam in Trigono

gono Igneo vel Terreo, quàm in fine Trigoni Aquei, harum rerum finem facere) tamen ordinem à se institutum non volet pervertere. Et quemadmodum is ordo à condito mundo huc usque mirabili & arcano Dei consilio constitit: ita nemini dubium esse potest, quin ad finem hujus mundi senescentis, illum Deus inviolatè conservaturus sit. Cui honos scientiæ rerum futurarum, omnisque sapientiæ laus & gloria, in secula seculorum, Amen.

EPILOGUS.

AD finem (Deo propitio) perduximus hactenus, & pro nostra mediocritate absolvimus institutæ à nobis prognostications Astrologicæ tractationem, quam ex ipsius artis fundamentis extructam, nec cœco judicio, ut existimari vulgò posset, nec inani quadam curiositate, absque causis Physicis sumptam, sed ex omnium temporum perpetuò sibi consentiente artificum observatione erudita petitam, & ingeniosa ac certa historiarum longi temporis collatione firmatã esse tenemus.

Quid autem hac in parte præstiterimus, & quantum fidei huic operæ nostræ piè tribuendum sit, cùm tacita quædam quasi legis concio omnis hujus generis Physica divinatio sit, quæ sine præstigiis eruditè & ingeniosè ex astris ducitur, aliorum esto judicium.

Docet certè nos diligens & erudita multorum temporum observatio historica, illud ipsum penè momentum temporis instare, quo in tota passim Europa, & maximè in Imperio Romano graves, periculosæ, & valde horrendæ gubernationis politicæ mutationes, & status publici turbationes atq; confusiones propè infinitæ divinitùs impendere videntur.

Nec ferè aliud cœlestia S. Scripturæ oracula ex instinctu spiri-

spiritus Dei, per summos homines & Dei viros ipsos Prophetas in medium prolata concionantur.

Non obscurè enim in tanta generis humani in Imperio Romano confusione, ubi verbum Dei inæstimabili Dei beneficio purè sonat, is ipse quasi præ foribus esse articulus temporis cernitur, quem vaticinium Danielis c. 2. designat. Nam quòd de inusitatæ molis statuæ humanæ simulachro in expositione somnii Regii mentionem facit, de quatuor Monarchiis mundi ante novissimum diem, id accipi debere ex eodem ipso Daniele notum est.

Quartæ verò, hoc est, Romanæ Monarchiæ inclinationem, statum labantem, & ruinam in pedibus partim ferreis, partim etiam fictilibus pingi à Propheta divinitùs, extra controversiam est.

Addit enim evidentem ipse picturæ ejus interpretationem, qua significari ait permistionem in ea Monarchia gubernatorum postremi temporis ex humano semine, qua in re tamen vix ulla constans, satis firma, aut durabilis expectari Conjunctio possit, sicut lutum cum ferro cohærere nequit.

Efficitur igitur inde absque dubio, varias omninò mutationes, motus tremendos, distractiones, atque vicissitudines multiplices in postremis mundi temporibus, in hoc Imperio quartæ Monarchiæ invalituras (sicut idem CHRISTUS ipse, *Luc. 21.* in vaticinio de novissimi diei signis antecessuris eum prædixit) antequã scilicet lapis ille magnus sine manibus avellatur, qui simulachri illius pedes partim ferreos, partim fictiles contriturus, hoc est, quartam Monarchiam aboliturus, & regnum æternum, cujus non erit finis, inchoaturus est, cùm jam dies ille Domini magnus illucescere cœpit.

Quamobrem ingens certè nos necessitas circumstat, ut cautè circumspiciamus, quomodo impendentibus malis piè occur-

occurrere,& prudenter ea declinare possimus: præsertim,cùm (ut modò diximus) Christus ipse,& post eum D.quoq; Paulus, & D. Petrus magnoperè & seriò nos hortentur, & ut vigilemus,& ut sobrii simus,atq; oremus,&quoniam dies mali sunt, prudenter & circumspectè ambulare, & temporis rationem habere discamus,& in omni simplicitate,fide non hæsitante,& caritate non ficta,ac spe firma versemur,& ardenti Dei invocatione,fiducia filii mediatoris Christi,petamus atq; expectemus certum Dei auxilium, gubernationē per verbum ipsius & Spiritum sanctum,atq; à malis liberationem pro consilio Dei.

Neq; enim committendū ullo modo est,ut frustrà Deum nos seriò ad pœnitentiā vocare patiamur, qui expressissimum suæ voluntatis testimonium adversus multiplicia generis humani peccata in lege sua patefecit, & horribiles quotidie pœnas minitatur,jamq; securis ad radicem posita est, ut infrugifera arbor excidatur,& in ignem conjiciatur.

Hîc cuticulam (quod ajunt) curare, in utramvis aurem otiosè dormitare, & securè velut stertere, stuporis est extremi, & hominis plusquàm Epicurei, Cyclopico furore prorsus dementati,& præ insania immensa nihil amplius sentientis.

Neq; etiam existimandum est, prorsus irritas futuras illas rerum cœlestium significationes, & præcipuè magnarum illarum Conjunctionum superiorum Planetarum decreta divinitùs ita constituta in corporibus illis cœli ordinatissimis,de quibus hactenus in superioribus egimus.

Cùm enim nulla unquam ætas eas ita notarit eruditè observatas,quin eadem quoque mox, non longo temporis intervallo interjecto,publicos motus passim senserit, & non sine luctu acerbissimo sæpissimè, atq; ingentibus doloribus horrenda omninò,atq; planè tristia mala experta sit, quid de nobis fore judicabimus, qui in extrema hac mundi ad interitum ruentis,

tis, & prorsus inclinati senecta, & in tantis grassantis Diaboli furoribus versantes, longè à majorum simplicitate, animorum rectitudine, integritate, fide, constantia & virtute degeneravimus, & tantùm non omni cupiditati frenum laxamus, disciplinæ vincula contumacia quadam indomita repudiamus, repellimus atq; abjicimus prorsus, in vetitumq; (ut Poëta inquit) sine modo & fine ruimus nefas, nec Deum nec homines reveremur.

Sed clamitabit fortassis hicaliquis Cercopum è cœtu peculiari suæ sapientiæ laude miro supercilio tumens, quis novus iste Anacharsis? unde nobis prodit? quas panici terroris consternationes animorum, quóve hiatu edit in re, quæ nihil habet certitudinis, & tantùm otiosis conjecturis constat?

Ei modestè responsum volumus, eum debere suo sensu abundare: nos verò interim, propter ipsum, pias commonefactiones, & tacitas (ut diximus) legis Dei conciones non velle abjicere, aut pedibus conculcare.

Sicut enim vulpeculam Æsopicam territabant vestigia in antrum leonis vergentia, nulla autem retrorsum: ita etiam nos eruditæ & ingeniosæ vetustatis exemplis commoti, non dubitabimus, prorsus irritas non esse illas cœlestes significationes, quas Deus singulari consilio in cœlo spectandas, in cõspectum certis temporibus adducit.

Omissis autem historiis à nostræ ætatis memoria remotis, de quibus in superioribus aliqua ex parte actum est, sumamus è propinquo exempla, ex superioribus repetita hoc loco, quæ in recenti adhuc nostrorum hominum memoria hærent, & quorum notitiam historiæ vetustatis oblivio nondum delevit.

Quid accidit post Conjunctionem illam tetram Saturni & Jovis in Cancro, quæ (sicut suprà fusius à nobis explicatum est) in mense Junio, anno 1504. incidit?

Quantum calamitatum, cladis publicæ, & malorum, ac tristitiæ funestum illud bellum Bavaricum, non solùm toti Bavariæ, sed etiam circumjacentibus, & finitimis locis attulit?

Quid evenit non multò post, anno 1524. post magnam Conjunctionem Saturni, Jovis, & aliorum Planetarum multorum in Piscibus?

An non statim insequuta passim, horrendo cum tumultu, seditio rusticorum est, qui contra magistratus suos legitimos impiè arma moverunt?

An non item bellum grave, periculosum, & atrox inter præcipuos gubernatores regni, Carolum Imperatorem, & Regem Franciæ ad Papiam gestum est, in quo Rex captus est, & infinita propè mala simul invaluerunt, præter omnium expectationem?

Quid de bello Schmalcaldico dicemus, quod postea exortum luctuosissimũ certè toti Germanię fuit, cùm anno 1544. in mense Septembri, Conjunctio horrenda Saturni & Jovis in Scorpione præcessisset?

Quàm pernitiosum autem, quàm triste & calamitosum fuerit hoc bellum, quis est, etiam è media plebe, & infimæ sortis hominibus, qui ignoret?

Quamobrem cùm hæc ita habeant, nec facilè ab ullo negari possint, quis dubitabit etiam nunc aliquid peculiare portendi nobis, per formidabilem illam Saturni & Jovis Conjunctionem, in fine Cancri, & paulò post omnium ferè Planetarum & superiorum & inferiorum in Leone, quæ anno Domini 1564. mense Junio ac Julio erit?

Ipse opifex rerum voluit hæc ordinatissima cœli corpora esse in signa, tempora, dies & annos: hîc si nos reclamare Deo conditori omnium volenti & jubenti velimus, an non injurii in Deum conditorem cœli & terræ erimus?

Nun-

Nunquid lutum figulo obtrectabit, aut num creatura admiranda hæc Dei opera incertitudinis arguet, quæ in significando Deus ipse eam certitudinem habere vult, quę sunt comminationum legis, in quibus semper illud addendum est, ratas eas futuras, sicut ratę per se sunt, nec retractandas esse, nisi seriò homines resipiscant, ut docet exemplum historiæ Prophetiæ Jonæ, Prophetæ apud Ninivitas?

Docent rationes Astrologicæ ex ipsis fontibus doctrinæ hujus ingeniosissimę atq; eruditissimæ petitę, & temporis diuturnitate, ex observatione perpetua firmatę harum rerum cœlestium significationes minimè esse contemnendas, modò absque superstitione, & non sine causarum Physicarum notatione erudita excolantur, suoq; ordine & loco singulę conserventur.

Jubent nos scripta prophetica sacrarum literarum in hęc postrema, & mox sequutura tempora intueri diligenter, & velut defixis in ea oculis intentos esse.

Rideat igitur qui velit, & cum suo detrimento, summo cum periculo conjuncto abjiciat, & securè & superbè contemnat has qualescunq; significationes cœlestes: Deus se derideri non patietur.

Phryx non emendatur nisi plagis: frustrà verò Neptunnum invocat, qui secundò patitur naufragium.

Prudentiores facilè hinc haud dubiè divinitùs admoneri se animadvertent, ut discant matura pœnitentia, & vera conversione, & ardenti pietate ad Deum confugere, & anteverterе, & præcavere iram Dei horrendam adversus multiplicia nostra peccata, & pœnarum futurarum gravitatem.

Hæc me, lector optime, causa potissimùm nunc commovit, ut hoc tibi scripto & inserviendum, & gratificandum esse inprimis statuerem.

Intelliges enim haud dubiè pro tua singulari prudentia

&

& animi pietate, ex erudita rerum Astrologicarum cum historiis collatione, quid potissimùm de futuris eventibus clementissimus, & multum misericors Deus nos monere velit.

Æternum patrem Domini & liberatoris nostri Jesu Christi toto pectore oro, ut nos pro immensa sui misericordia clementer tueatur & servet, in vera sui agnitione & celebratione, & fide firma, ne quid contra ipsum peccemus, aut quod sit contra dilectionẽ ipsius, & proximi nostri, temerè committamus, dum in hujus vitæ quasi stadio decurrimus: tandem autem, cùm jam extremus vitæ agon instat, ut in vera fide piè decedere possimus, & ex hac ærumnosa vita perducamur in regnum ipsius, propter filium suum dilectum, Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

FINIS.



Nunquid lutum figulo obtrectabit, aut nu… id-
miranda hæc Dei opera incertitudinis arguet … fi-
cando Deus ipse eam certitudinem habere vult … m-
minationum legis, in quibus semper illud adde… tas
eas futuras, sicut ratę per se sunt, nec retractand… riò
homines resipiscant, ut docet exemplum histo… tiæ
Jonæ, Prophetæ apud Ninivitas?

Docent rationes Astrologicæ ex ipsis fon… næ
hujus ingeniosissimę atq; eruditissimæ petitę, &… iu-
turnitate, ex observatione perpetua firmatę hab… œ-
lestium significationes minimè esse contemnen… bſ-
que superstitione, & non sine causarum Physica… ne
erudita excolantur, suoq; ordine & loco singulę… ur.

Jubent nos scripta prophetica sacrarum li… ęc
postrema, & mox sequutura tempora intueri di… el-
ut defixis in ea oculis intentos esse.

Rideat igitur qui velit, & cum suo detrim… no
cum periculo conjuncto abjiciat, & securè & … te-
mnat has qualescunq; significationes cœlestes… ri-
deri non patietur.

Phryx non emendatur nisi plagis: frustrà… n-
num invocat, qui secundò patitur naufragium.

Prudentiores facilè hinc haud dubiè divi… eri
se animadvertent, ut discant matura pœnitent… n-
versione, & ardenti pietate ad Deum confuger… e-
re, & præcavere iram Dei horrendam adversus … o-
stra peccata, & pœnarum futurarum gravitater…

Hæc me, lector optime, causa potissimùm… o-
vit, ut hoc tibi scripto & inserviendum, & gra… sse
inprimis statuerem.

Intelliges enim haud dubiè pro tua singu… tia
… &



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777758865/phys_0173
DFG